



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Dispvtaiones Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Dispvatio XX. De ordine prædestinationis & variis eius actibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

imponet, contentus eo numero prædestinatorum qui in die iudicij extremi reperietur.

168.

Quæ fuit  
prima in-  
tentiõ spe-  
cialis Dei  
circa ele-  
ctos.

Ad secundam confirmationem Respon-  
deo ante omnem futurorum prævisionem  
Deum habuisse communem voluntatem qua  
desiderabat omnes homines & Angelos fieri  
saluos, volebatque omnibus ex parte sua  
media de se apta & vtilia conferre: quamuis  
non omnibus eadem mensurâ. Prima au-  
tem voluntas specialis circa electos, quæquæ  
ad reprobos non se extendit, illa fuit, qua  
hunc rerum ordinem illis magis quàm alijs

profuturum, elegit & totam illorum bene-  
ficioꝝ seriem, quibus certissime saluandi  
erant, præparauit, illa, inquam, media qua  
per scientiam conditionatam certissime scie-  
bat profuturâ, si darentur: approbans quòd  
profutura essent, quòque scientia condi-  
tionata de facto esset transitura in absolu-  
tam, atque in eo sibi complacens ex affectu  
saluandi electos. Qui affectus, præuiso bo-  
no vsu mediõrum vt absolute futuro,  
transiit in efficacem & absolutam electio-  
nem illõrum ad gloriam,

## DISPUTATIO VIGESIMA.

De ordine prædestinationis, & varijs eius actibus.

Sectio I. *Quæ scientia necessariò ponenda sit in Deo apte omne de-  
cretum prædestinationis?*

Sectio II. *De actibus diuinæ voluntatis prædestinantis, & eorundem  
ordine.*

Sectio III. *De primo actu voluntatis diuinæ prædestinantis, qui est  
interioꝝ: & primò, an Deus omnibus creaturis intel-  
lectualibus salutem expetierit antecedenti voluntate?*

Sectio IV. *An & quatenus & voluntas Dei saluandi omnes fuerit  
efficax?*

Sectio V. *An Deus omnes antecedenter equaliter dilexerit?*

Sectio VI. *Virum illa dilectio specialis electõrum antecedens fuerit  
efficax electio ad gloriam?*

Sectio VII. *Corollaria ex præcedenti doctrina, & de effectibus præ-  
destinationis.*

**D**E materia huius disput. agit S. Doctor quæst. 23. artic. 4. 6. & 7. In quorum primo docet omnes prædestinatos esse dilectos & electos à Deo. Dilectos quidem, in quantum vult eis Deus bonum salutis æternæ. Nam diligere est velle alicui bonum. Electos verò, in quantum vult illis hoc bonum, præ alijs, quos reprobat. Electio tamen, inquit, & dilectio, aliter ordinantur in nobis, & in Deo: eò quòd in nobis voluntas diligendo non causat bonum, sed ex bono præexistente incitatur ad diligendum: & ideo eligimus alicui, quem diligamus. Atque ita electio dilectionem præcedit in nobis. In Deo autem res contrario modo se habet. Nam voluntas eius, quæ vult alicui bonum diligendo, est causa cur iste illud bonum præ alijs habeat. Et sic dilectio præsupponitur

electioni secundum rationem, & electio prædestinationi. In secundo affirmat prædestinationem certissimè, & infallibiliter consequi suum effectum: nec tamen imponere necessitatem ut scilicet effectus eius ex necessitate proueniat. Est enim prædestinatio pars providentiæ. Cuius ordo licet infallibilis sit, sicut est diuina scientia: non tamen imponit necessitatem effectibus ad quos causas liberas ordinavit: neque tollit libertatem arbitrij; ex qua contingenter prouenit prædestinationis effectus. In tertio asserit numerum prædestinatorum esse Deo certum, non solum formaliter, quod scilicet tot saluandi sint; verum etiam materialiter, quod scilicet hæc, aut illi. Idque non tantum ratione cognitionis, quia scilicet Deus sciit quot sint saluandi, & quinam (sic enim Deo certus est etiam numerus guttarum pluuia, & arenæ maris) sed ratione electionis, & definitionis cuiusdam. Deus enim præordinauit omnes & singulas creaturas rationales, quæ beatitudinem æternam consequentur. Licet autem opinentur aliqui tot esse saluandos, quot Angeli ceciderunt: alij tot esse electos, quot Angeli remanserunt: alij, quot Angeli ceciderunt, & insuper tot, quot fuerunt Angeli creati. Melius tamen dicitur quod soli Deo est cognitus numerus electorum, in superna felicitate læcandus. Hæc D. Thom. quæ sequentibus sectionibus explicanda sunt.

SECTIO I.

Quæ scientia necessariò ponenda sit in Deo ante omne decretum prædestinationis?

**Q**VAESTIO est de ordine rationis, non de ordine temporis, vel naturæ. Supponimus enim Deum vnico reatè & indiuisibili actu æterno, qui est ipsemet Deus, intellexisse & voluisse quicquid intelligit & vult, siue circa negotium prædestinationis, siue circa quilibet aliud. Quia tamen actus ille reatè vnicus, est virtualiter multiplex, id est, æquiuales multis actibus creaturarum inter se subordinatis, partim intellectus, & partim voluntatis: præbet nobis fundamentum concipiendi inadaquatè, & distinguendi in varias rationes, alias alijs priores virtualiter & æquiuales, quatenus respondent actibus distinctis creaturarum, quorum alij sunt alijs priores.

Hoc supposito, certum est scientiam simplicis intelligentiæ circa obiectum decreti prædestinationis, quæ Deus illud nouit ut possibile & volibile, esse ratione priorem omni decreto prædestinationis, & omni actu libero voluntatis circa tale obiectum. Nihil enim est liberè volitum, nisi sit præcognitum. Et quodcunque exercitium libertatis præsupponit cognitionem obiecti eligibilis, cum aliqua indifferentia, id est, cum varijs rationibus propter quas

possit eligi, & non eligi, pro arbitrio voluntatis. Addi potest ad idem confirmandum, quod scientia simplicis intelligentiæ est simpliciter & absolute necessaria, effectque, quamuis Deus nihil liberè decreuisset facile extra se: decretum verò prædestinationis est liberum. At necessaria in Deo sunt priora liberis, ex parte subiecti, id est, ordine necessitatis. Verum hæc non disputamus de ordine qui est inter actus ex parte subiecti: sed de ordine qui est inter ipsos ex parte causalitatis metaphysicæ, vel quasi causalitatis vnus ad alium. Quo prænotato, superest quærere primò, num etiam scientia conditionata circa obiectum prædestinationis necessariò præsupponatur eius decreto? Secundò, an etiam actus aliquis intellectus, qui dicitur imperium? Tertio, an etiam aliqua scientia rationis?

Dico primò, Scientiam conditionatam circa obiectum decreti prædestinationis, esse priorem decreto. Ratio huius conclusio- nis facile redditur à Suare & ab alijs eiusdem sententiæ, qui putant decretum prædestinationis esse antecedens absolutum & efficax, fundatum in eo, quod Deus per scientiam conditionatam certus est sibi non defutura media, per quæ infallibiliter perducat liberè creaturas ad gloriam, quæ illis antecedenter & efficaciter acquirat, obtineat, quæ ab illis bona opera libera, per quæ vult illas ad gloriam perducere: præueniendo scilicet illis auxilijs quæ videt esse profutura, si offerantur tali modo, & tempore, & in talibus alijs circumstantijs. In nostra verò sententiâ,

Atque etiã scientia conditionata circa obiectum decreti prædestinationis

Scientia simplicis intelligentiæ est prior decreto prædestinationis.

quæ negat tale fuisse decretum prædestinationis, alia ratio reddenda est. Cuius reddendæ difficultatem facit, quod iuxta nos Deus non videtur scientia media, siue ut velit omnes saluare antecedenti voluntate, inefficaci & conditionata pro illo signo rationis: siue ut eligat media, quorum aliqua sunt profutura electis, & alia sunt non profutura reprobis: Sed perinde hæc omnia facit, ac si scientiam conditionalium non haberet. Quare scientia conditionalium nullam exercet causalitatem virtutalem seu metaphysicam circa decretum prædestinationis, quia perinde se habet ad illud, ac si non esset: adeoque non est prior ratione decreto.

4. Respondeo, scientiam conditionalium, licet non dirigat Deum & seligat quibusdam media, quia congrua & profutura, affectu ad hoc planè determinante, & alioqui non electuro: alijs verò seligat media, quia incongrua & non profutura, ut dicemus inferius num. 54. nihilominus tamen non se habere imperitenter & perinde ac si non esset, respectu actuum diuinæ voluntatis intendendis omnibus gloriam inefficaciter, & media eligentis: sed præsupponi necessariò ad perfectum illum modum intendendi finem, & eligendi media, qui decet prouidentiam diuinam perfectissimam. Nam ad perfectionem prouidentie pertinet præscire exitum, quem intentio finis, aut electio mediorum habitura est. Ideoque S. Thom. q. 22. art. 1. in corp. ait, *ad prouidentiam pertinere memoriam præteritorum, & intelligentiam presentium, prout ex præteritis memoratis, & ex presentibus intellectis, coniectamus de futuris prouidentis.* Quæ verba D. Thom. de humana prouidentia intelligenda sunt. Deus enim ab æterno decernens quicquid decreuit, non eguit memoriã præteritorum, quæ nulla erant: neque coniecturis est usus, per se fallacibus: sed euidenter & infallibiliter præsciuit quidnam euenturum esset, si gloriam intendere & communicare creaturis intellectualibus, dependenter, quoad efficaciam, à conditionibus vel operibus, earum libertati subiectis: quemue effectum habitura essent media & auxilia ad hunc finem consequendum illis exhibita. Sicut tamen pertinet ad perfectionem humanæ prouidentie scientia ista coniecturalis, quam solum possumus habere naturaliter de futuris prouidentis: debetque prius comparari ex memoria præteritorum, & inspectione presentium, quàm prudenter intendamus finem, & media eligamus idonea: ita præscientia Dei perfectissima de euentu sub conditione futuro, si finis talis intendatur tali modo, per quæ talia media procuraretur, pertinet ad perfectionem prouidentie diuinæ in negotio prædestinationis, præsupponiturque ratione prius tam intentioni huius, seu voluntati generali saluandi omnes, quàm electioni mediorum, tanquam aliquid constituens Deum in actu primo completo, &

Quia est necessaria ad perfectionem prouidentie diuinæ

proximo, ad prudenter intendendum & eligendum. Estque illa præscientia, etiam in suo gradu euidentiæ & certitudinis infallibilis, de ratione prouidentie diuinæ, quæ perfectissima est & prudentissima. Sicut notitia coniecturalis est de ratione prouidentie humanæ, quæ minus perfecta & fallibilis est.

Neque obest quòd Deus in primo illo actu voluntatis non intedit efficaciter & absolute finem, neque in secundo, eligat media ut profutura, sed solum ut de se apta & utilia. Nam quamuis ita sit: quemadmodum ut nos prudenter intendamus finem & eligamus media, defemus prius coniectare quid ex tali intentione & electione sperandum sit: ita Deus in negotio prædestinationis præscire debet quid expectandum sit, si hominum salutem tali modo intendat, ad eamque hæc & illa eligat media. Quare illa scientia præsupponitur intentioni finis, & electioni mediorum, tanquam fundamentum vtriusque prudenter faciendæ. Deus autem prudentissimè intendit & eligit. Consentient Molina q. 22. art. 1. disp. 2. Lessi in tractat. de auxili. cap. 4. num. 16. & Valentius Herice disp. 22. cap. 3. num. 25.

Dico secundo: Ante decretum prædestinationis non est necessarium in Deo alius actus intellectus, qui dicitur imperium, & explicatur per verba, *fac hoc*, præscribens voluntati esse decernendum, ipsum quod decernit, hunc finem esse tali modo intendendum, aut hæc & illa media esse eligenda, ac deinde applicanda in executione: obligantque diuinam voluntatem per modum legis aut præcepti. Hæc conclusio est contra nonnullos quorum confusè meminit Molina q. 23. art. 2. disp. 2. *Alii affirmant.* Et probatur quia ut Deus finem tali modo intendat, sufficit illi cognoscere, per scientiam simplicis intelligentie, finem illum esse possibilem, & conuenienter expectabilem: ac per scientiam mediam prænosce quidnam sit euenturum ex sua intentione, quod ad prudenter intentionem necessarium esse paulò ante probauimus. Similiter ut eligat media, sufficit illi cognoscere, per scientiam simplicis intelligentie, proportionem conuenientem medium cum fine: & per scientiam mediam, euentum ex illis secuturum. Ad applicationem verò mediorum, & executionem, sufficit noticia modi & temporis, quo exequendum est secundum intentionem & electionem præcedentem. Neque enim eget voluntas diuina imperio cuiusquam, ut urgeatur & obligetur ad exequendum id, quod absolute & efficaciter decreuit, eo tempore & modo quo decreuit: cum ab ipsa sua perfectione intrinseca, constantia, & immutabilitate, necessitetur ad exequendum quicquid decreuit, parique necessitate non possit non exequi decreta sua conditionata, purificata conditione. Quare ille actus intellectus diuini, quo dicat voluntati, *fac hoc*, per modum imperantis, est superfluus. Neque voluntas Dei eget tali imperio: sed opus tantum

Non est  
Deo necesse  
facere imperium ad  
præscribendum

tum habet notitij supra dictis, virtualiter aut formaliter practicas, dirigentibus intentionem finis, electionem mediorum, & vsum siue applicationem & executionem. Vtrum verò notitiæ illæ practicae imperium vocari possint, aut debeant, alio sensu quam supra explicato? quæstio est de nomine & nullius momenti.

7. Dico tertio, Aliquam scientiam visionis, seu de rebus in aliqua temporis differentia absolute extituras, fuisse ratione prioris omni decreto nostræ prædestinationis: ad completam verò prædestinationem, multiplicem aliam scientiam visionis fuisse præsuppositam.

Prima pars probatur, quia supposito (quod in tractatu de Incarnatione probabimus) Christum fuisse primum prædestinatum, ceterosque omnes propter ipsum eiusque merita prædestinari: Christus ut præuisus, eiusque merita ut præuisa, sunt ratione priora tota nostra prædestinatione adæquatè sumpta. Quia sunt motuum voluntatis diuinæ, propter quod gloriam nobis impendit, & procurat per media idonea. Hoc autem Christo singulare est. Nam ex parte ipsius prædestinati, vel aliorum, nihil est quod absolute præuisum, fuerit causa totius suæ prædestinationis. Potest tamen vnus prædestinatus esse causa prædestinationis, completæ alterius, ut dicam paulo post.

8. Dices nonnullos nasci ob preces sanctorum, quorum intercessionibus parentes illis à Deo impetrant. Ergo sancti qui sunt causa ut sint, sunt etiam causa in radice ut Deus illis gloriam intenderit, & reliquorum quæ sequuntur ex illa intentione; ac proinde totius eorum prædestinationis adæquatè sumpta.

Respondeo non esse causam antecedentis illius intentionis generalis, quæ Deus confusè pro illo signo rationis, voluit gloriam omnibus hominibus quomodocumque; & quæcunque; ex causa futuris. In qua intentione confusè comprehēdebantur homines illi, sanctorum precibus impetrandi. Imò neque propter hoc præcisè quoddam impetraverint ut nascerentur, esse causas prædestinationis ipsorum formaliter & per se: sed tantum esse causas, ut sint in rerum natura, eodem modo quo si nulla esset prædestinatio. Aliunde verò est quod Deus omnes creaturas intellectuales ad gloriam destinet. Adde simili argumento probatum iri, eos qui peccato suo fornicationis, adulterij, sacrilegij, sunt causa ut alij nascantur, esse pariter causas totius eorum prædestinationis, quod absurdissimum est.

9. Sunt qui putent scientiam visionis de persona prædestinanda, præsupponi necessariò ipsius prædestinationi: eo quod natura præsupponitur gratiæ; & subiectum, formis accidentalibus. Sed falluntur, quia licet ordine executionis natura præsupponatur gratiæ respectu eiusdem, & subiectum præsupponatur formis accidentalibus: potest tamen ordo intentionis esse dixeris, ita ut Deus

Tomus I.

intendat homines creare propter gloriam, & velit eos esse ut beati sint, & cum Christo in perpetuum regnent. Ac licet non possit desiderari alicui gloria & beatitudo, absque eo quod ipse includatur in obiecto, talis desiderij, & actus simul tendat in vtrumque, multare in quo: potest tamen inter obiecta esse ordo à quo: ita ut quamuis simul eodem actu indiuisibili expectantur: vnum tamen propter aliud expectatur: id est, vnum se appetatur, & sit alteri ratio cur appetatur.

Secunda pars conclusionis, quod scilicet multiplex scientia visionis præsupponatur ad prædestinationem completam, probatur quia Deus non completè prædestinat, id est, absolute & efficaciter decernit dare gloriam, nisi præuiso bono statu finali, & vsum mediorum vel auxiliorum salutis. Vem non decernit efficaciter infundere fidem, & alios habitus supernaturales, ac remittere peccata & iustificare, nisi præuiso bono vsum Sacramentorum, vel actibus supernaturalibus, quibus ad hæc sufficienter disponimur. Neque decernit efficaciter augmentum gratiæ & gloriæ, nisi præuisis meritis, aut alijs causis augmenti. Quidam etiam media & auxilia salutis dare non decernit efficaciter, nisi præuiso vsum bono mediorum & auxiliorum ante collatorum, vel orationes nostras, aut aliorum pro nobis orantium. Possunt enim alij alijs impetrare à Deo, ut efficacius uocentur & conuertantur, vel ut perseuerent, atque etiam eximia gratiæ beneficia consequantur. Iuxta illud vulgatum, Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet. Et in Iacob, 5. v. 16. *Orate pro inuicem & saluemini, multum enim ualet deprecatio iusti assidua apud Deum.*

SECTIO II

De actibus diuinæ voluntatis prædestinantis, eorumque ordine.

Actus diuinæ voluntatis, ad negotium prædestinationis pertinentes, generatim duo sunt: intentio finis, & electio mediorum. Atque enim duo qui videntur quibusdam esse istis addendi, nempe voluntas efficax & absoluta saluandi eos qui præiudicantur esse habituri conditiones necessarias, & vsum seu applicatio potentia ad exhibenda media hoc tempore, exequendumque totum decretum: illi, inquam, non differunt intrinsecè à prioribus; sed tantum per comparationem ad aliquid ipsi extrinsecum. Nam intentio antecedens inefficax & conditionata pro illo signo rationis antecedente præuisionem operum vel boni status finalis, est absoluta & efficax posita præuisione conditionis necessariæ absolute futuræ. Electio quoque mediorum, id est, voluntas efficax, quam Deus habet ab æterno conferendi suo tempore hæc & illa media mouet seu applicat potentiam executionis, id est, omnipotentiam diuinam, ut ea conferat suo tempore: ut ostendimus disp. 11. sect. 7. n. 59.

M m

12. Hoc supposito queritur primò, vtrum sit ordo rationis inter actus supra dictos? Negant aliqui existimantes ne ratione quidem distingui: quia, inquit, omnis imperfectio remoueri debet à voluntate Dei. Esset autem imperfectio si Deus primò intendere ea quæ idonea sunt. Quæ imperfectio in nobis oritur ex eo quòd mediòrum efficaciam non satis percipiamus nisi adhibita cõsultatione. Deinde quia Deus non vult nobis beatitudinem nisi dependenter à medijs. Ergo eius intentio fertur simul indiuisibiliter in finem & in media.

13. In prædeterminatione intentionis finis distinguitur à electione mediòrum, eamque præcedit.

Dicendum tamen est intentionem finis, formaliter sumpti vt finis est, esse actum ratione distinctum, & ordine rationis priorem electione mediòrum. Probatur primò, esse distinctum: quia actus diuini distinguuntur ratione per comparationem & æquivalentiam ad nostros, iuxta doctrinam D. Thomæ q. 13. art. 4. in corp. de modo distinguendi attributa diuina. Atqui in nobis intentio finis & electio mediòrum distinguuntur: sæpissimè què sit, vt intentio finis præcedat, etià duratione, electionem mediòrum. Item intentio finis versatur tantum expressè & determinatè circa finem: confusè verò tantum circa media, & indeterminatè, pro illo signo rationis, si multa sunt media, quorum quodlibet sufficiat. Electio verò versatur expressè & determinatè circa medium vnum aut plura: ergo illi actus sunt diuersi, quandoquidem tendunt diuerso modo in objectum.

14. Probatur secundo intentionem finis esse priorem electione mediòrum: quia finis quæ intentus formaliter vt finis, est causa & motiuum cur eligantur media. Ac sicut id quod per se cognoscitur, & est motiuum cognoscendi aliud, est præcognitum ordine rationis, saltem à quo: ita quod per se expetitur, & est motiuum expetendi aliud, est prius expetitur ordine rationis saltem à quo: Dixi autem in conclusione, intentionem finis formaliter vt finis: quia non nego id quod est finis materialiter sumptum, & id quod est medium, simili modo sumptum materialiter, posse amari eodem actu propter se, sine ordine rationis, per modum totius cuiusdam objecti, sine causalitate vnius partis ad alteram. Sed hoc non est amare finem vt finem, & media vt media. Sicut cognoscere eodem actu veritatem materialem antecedentis, & conclusionis per se immediatè, non est cognoscere præmissas vt præmissas formaliter, id est, vt surgentes munere præmissarum circa conclusionem.

15. Ad primum argumentum contrariæ sententiæ Respondeo nullam esse imperfectio- nem, in eo quòd actus simplex diuinæ voluntatis, qui realis vt idem est intentio finis & electio mediòrum, æquiualeat duobus actibus creaturarum, quorum vnus est intentio finis, alter est electio mediòrum. Neque propterea Deum consultare de medijs, quasi ignoret eorum efficaciam: sed tantum illum

actum, ratione suæ perfectionis & amplitudinis, præbere nobis fundamentum suuicis præscindendi & considerandi ipsam quatenus respondet intentioni voluntatis creatæ, non expressè & determinatè versanti circa media; abstrahendo ab eo quòd idem actus adæquatè consideratus secundum totam perfectionem, quam à parte rei habet, est etiam volitio expressa & determinata mediòrum.

Dices hoc ipsum esse tribuere Deo magnam imperfectio- nem: dicere scilicet quòd eius volitio sit confusa pro aliquo instanti rationis: quemadmodum dicere quod cognitio Dei sit confusa pro aliquo instanti rationis, est tribuere Deo imperfectio- nem in cognoscendo.

Respondeo non propterea tribui Deo imperfectio- nem; sed solum eius perfectionem imperfectè à nobis, & inadæquatè concipi. Neque eius volitio aut cognitio est confusa à parte rei in vno instanti temporis, sed tantum distinguitur à nobis per mætrem in duos conceptus obiectiuos, & in adæquatè concipi, & alterum distinctum, propter æquivalentiam ad plures actus creaturarum, quorum vnus est ipsa cõfusio, alter distinctus, & est vnus cadit confusè in aliquod obiectum, in quod alter cadit distinctè. Ita qui melius de Incarnatione philosophantur, dicentque Christum fuisse decretum ante peccatum; dicunt pro illo signo rationis non fuisse decretum determinatè vt venturum in carne passibili, neque vt venturum in carne impassibili; sed priorem modum fuisse determinatum ratione posterius, est præuisione peccati. Quare decretum Incarnationis pro priori signo rationis fuit indeterminatè & confusè quoad modum veniendi; & Deus vi illius decreti nõ cognouit venturum esse distinctè hoc aut illo modo, sed cõfusè & indeterminatè alterutro.

Ad secundum argumentum Respondeo licet intentio finis feratur indiuisibiliter in media necessaria (volumus enim finem vt assequibilem per media) & similiter electio mediòrum feratur indiuisibiliter in finem, volumus enim media propter finem: neque potest fit in illo actu præscindi aliqua ratio, quæ sit præcisè volitio finis sine medijs, aut mediòrum sine fine: aliter tamen fertur intentio circa finem & media, & aliter electio. Nam intentio fertur expressè & determinatè in finem: confusè verò & indeterminatè versatur circa media è pluribus eligibilia. At electio fertur in ipsa media distinctè & determinatè. Item intentio fertur in finem tanquam primus motus voluntatis, & principium totius negotij. Electio verò fertur in media propter finem, tanquam inseruiens intentioni, & ab illa ducens originem.

Instabis, quia si distinguimus in Deo intentionem finis ab electione mediòrum, propter æquivalentiam actus diuinæ voluntatis ad intentionem & electionem creatam: ergo etiam vsus in Deo distingui debet ab electione, quoniam actus ille diuinæ voluntatis æquè respondet vsui, siue actui distincto, quo voluntas creatæ applicat

potentiam executivam, aut aliam sibi subiectam, ad operandum.

Electio  
mediorum  
prædesti-  
natis  
non differt  
ab usu in  
Deo.

Respondeo ideo in nobis distingui usum ab electione mediorum, quia cum postea applicamus ad opus potentiam executivam, egemus novo actu & impulsu efficaci voluntatis, distincto ab electione quæ iam præterijt. At electio efficax medij, seu volitio efficax illud in tempore exhibendi & applicandi omnipotentiam ut exhibeat, manet in Deo æterna & immutabilis, & movet se sola efficaciter omnipotentiam eo instanti quo decrevit operari. Quare non præbet nobis fundamentum concipiendi illam applicationem per modum actus voluntatis ratione distincti ab electione mediorum, sicut in creaturis vsus distinguitur realiter ab electione præterita, & destinatione utendi tali medio, suo tempore.

19. Quæritur secundo, an Deus in eodem instanti rationis intenderit gloriam efficaciter omnibus prædestinatis? Affirmat Suar, lib. I. de prædestin. cap. 12. vbi docet, electionem omnium saluandorum factam esse in eodem signo rationis, inquam, inquam, tam Angelorum quam hominum, excepto Christo. Ratio eius est quia ipse electos nullus est ordo, propter quem quidam dicantur electi prius quam alij. Nam hic ordo potest tantum esse causalitatis: & in præfenti debet esse ordo finis, & eius quod ordinatur ad finem, quia versamur circa ordinem intentionis. Vnus autem electus non est finis gloriæ alterius, sed omnes immediate ordinantur ad gloriam Dei & Christi. Deinde Deus intendit regnum electorum per modum vnus corporis, seu civitatis celestis. Ergo simul intendit omnia membra, ex quibus tale corpus constat. Nam ex eorum multitudine & varietate, totius corporis pulchritudo resultat.

20. Deus non intendit gloriam efficaciter omnibus prædestinatis, in eodem instanti rationis.

Contrarium tamen verum esse existimo. Nam intentio, seu voluntas dandi gloriam, non fuit efficax, nisi præuisa perseverantia vel bono statu finali. Atqui aliquorum perseverantia, vel bonus status finalis, pender ab alijs ut prædestinatis, id est, ut sanctis & beatis cum Christo regnantibus: quando nimirum Deus illorum precibus, consideratis ut sunt à sanctis & Beatis, suis quasi familiaribus & amicis inseparabilibus, ac templis gloriæ suæ viventibus, cõcedit aliquorum conversionem, & perseverantiam aut exitum in bono statu. Quare sicut Christi prædestinatio fuit prior aliorum omnium prædestinatione: non solum quia reliquorum prædestinatio refertur ad gloriam Christi tanquam capitis prædestinatorum: sed etiam quia ceteri prædestinantur propter ipsius merita: Ita sanctorum illorum prædestinatio est prior eorum prædestinatione, qui propter illorum preces, ut sanctorum & Beatorum, eliguntur efficaciter ad gloriam, mediante conversione, & perseverantia, aut bono statu finali, quem ipsi impetrarunt.

Addunt aliqui Angelos fuisse prius prædestinatos, quam homines: quia homines fuerunt tantum prædestinati ad reparandas ruinas Angelorum. Sed cõtra: primò, Angeli qui ceciderunt nunquam fuerunt efficaciter prædestinati. Secundo, non est verum homines tantum fuisse prædestinatos per accidens, ex occasione ruinæ Angelorum, ut ostendimus alibi: licet in executione impleant ruinas illorum, quatenus occupant sedes illas beatas, quibus Angeli man se indignos reddiderunt.

Angeli non fuerunt prius prædestinati, quam homines.

Quod autem dicitur Apocal. 3. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam: significat tantum coronam gloriæ pendere à perseverantia, fierique posse ut si nos legnes sumus & non satis solliciti, eam non assequamur, deturque alteri, qui eam promeruerit. Non tamen ita, ut iste parerit coronam gloriæ non sit consecuturus, si nos perseverauerimus: quòdque iste non fuisset salvandus, nisi nos perissemus: Deo scilicet non decernente illi efficaciter gloriam, nisi propter nostram ruinam reparandam.

Ad primum Suar, argumentum Respondeo iam probatum esse aliquem esse ordinem causalitatis inter prædestinatos, quandoquidem aliqui saluantur, propter alios. Causalitatis, inquam, in genere causæ efficientis moralis, quæ non unum potest supradare prioritatem rationis, quam causalitatis in genere causæ finalis. Vbiunque enim est aliqua causalitas, est etiam prioritas naturæ vel rationis, in eo consistens quòd vnum pendeat, ab alio, vel quòd vnum sit ab alio, non vice versa. Adde utrumque ordinem causalitatis, efficientis, & finalis, sic reperiri posse. Si nimirum Deus non modò propter preces Beati ut Beati, velut causam moraliter efficientem, id est, inducentem ad opus, det alicui conversionem & perseverantiam: verum etiam hoc faciat ad illustrandam gloriam Beati: in quem finem solet Deus edere miracula in gratiam Sanctorum facta.

Potest esse aliquis ordo causalitatis inter prædestinatos.

Ad secundum Respondeo primò, eodem argumento, si valeret, probari, ne Christum quidem fuisse prius alijs prædestinatum, quod est contra Suarem ipsum. Etenim Christus est vnum è membris illius corporis, iuxta illud, Cor. 12. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membris. Et pulchritudo illius resultat ex multitudine & varietate omnium membrorum, capitulorum, que præcipue. Respondeo secundo, licet Deus intenderit regnum electorum per modum vnus corporis, non sequitur æqualiter aut æquè primò intendisse omnia illius membra. Potuit enim servare aliquem ordinem dignitatis, atque etiam causalitatis: sicut ipsa servavit inter Christum & reliquos electos. Sic etiam orat pro tota aliqua communitate per modum vnus, orat magis pro illis quibus magis in ea præcipui sunt, & à quibus illius salus & bonum magis pender. Et qui amat convenienter rectoque

ordine totam aliquam communitatem per modum vnus, magis amat eos qui in illa magis amandi sunt secundum eorum ordinem in bono communi. Magis, inquam, virtualiter licet expresse non distinguat illos ab alijs: Vt docet S. Thom. quest. 3. supplem. art. 3. ad 2.

24. Electio omnium mediourum non fuit facta in eodem signo rationis.

Quare tertio, an electio omnium mediourum sit facta in eodem signo rationis? Respondeo negatiue. Multa enim fuerunt electa ex occasione, & prauisione boni vel mali vsus aliorum mediourum. Vt v.g. mediu ad agendam penitentiam non fuit electum nisi ex occasione peccati commissi, eiusque prauisione: & interdum resistencia facta prioribus medijs, est causa cur Deus det alia efficaciora. Elegit autem ab aeterno eo modo, quo dat in tempore. Sic Paulum, contra illum qui recalcitrantem, conuertit potentiore miraculo Actor. 9. Et Exod. 4. v. 8 & 9. Deus Moyfi sic loquitur. *Si non crediderint tibi, neq; uiderint sermonem signi prioris, credent uerbo signi sequentis. Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint uocem tuam: sume aquam fluminis, & effunde eam super aridam, & quicquid haueris de flumine, uertetur in sanguinem.* Vbi uides Deum addere miracula miraculis, ob fidem negatam prioribus, & duritiem cordis ad credendum. Multo autem magis bonus vsus mediourum solet esse causa, ut Deus alia & maiora suppediter, iuxta parabolam decem minarum. Luc. 19. v. 12. & sequentibus. Multa etiam impetrantur per preces, & alia bona opera, ut merita de congruo. Multa dantur propter ius acquisitum in vsu Sacramentorum, ad auxilia eorum fini contententia. Multa item propter ipsam iustificationem, & gratiam sanctificantem, cui debentur connaturaliter auxilia uite illi supernaturali proportionata. Multa denique ob preces aut merita aliorum, atque etiam non raro ex occasione peccati & malicie illorum. Interdum enim mouemur a Deo ad peccati detestationem uehementem, uis peccati alieni, rursus ad ne, uel ad conspectum poenarum quas subit.

25. Vt neque etiam electio rerum que nuuc est.

Sic etiam electio totius seriei, que ab initio mundi usque ad finem decurrit, non fuit facta in eodem signo rationis, neque vnico actu per mentem, indiuisibili, & eiusdem rationis. Quaedam enim Deus uoluit, quedam noluit, & tantum permisit. Item quedam amauit, quedam odit. Aliqua expetit antecedenter, alia consequenter. Nonnulla absolute, alia conditionate. Quaedam efficaciter, quedam simplici affectu desiderij. Ex. gr. uoluit Deus antecedenter, & quidem efficaciter, propter suam bonitatem & ad se comunicandum, mundum creare, in eoque homines & Angelos constituere, & ad finem supernaturalis ordinare, quem etiam omnibus antecedenter expetit, sed non efficaciter & absolute. Consequenter uero uoluit efficaciter & absolute finem illum omnibus quos prouidit vsuros medijs, uel habituros condiciones quas requisit. Poenam

uero & damnationem aeternam per se odit, neque per se absolute intendit aut intendere potuit: alioqui peccatum uoluisse, sine quo poena & damnatio proprie dici, esse nequit. Qui enim finem aliquem absolute & efficaciter intendit: uult necessario omnia media sine quibus est impossibile consequi finem. Alioqui uellet simul, & non uellet, efficaciter & absolute. Vellet, ut supponimus: non uellet, quia non uult ea sine quibus impossibile est esse id quod consequi uult absolute & efficaciter. Quare sequi Deus non potest uelle peccatum: ita neque potest antecedenter & absolute intendere id quod sine peccato esse nequit, cuiusmodi est poena & damnatio impij, cuius impietatem odit, & ad eam permissum tantum se habuit. Contra uero, iustorum bona opera expetit, & ad ea procuranda media constituit. Item quedam uero uoluit, sed per modum simplicis desiderij patientis permissionem oppositi; ut plurima que precepit uel consuluit: quedam omnino efficaciter & absolute, uel uero di creationem, Incarnationem Verbi, atque id genus. Quaedam respexit ut fines, alia uero media, alia ut subiecta mediourum ad fines.

SECTIO III.

De primo actu diuinae uoluntatis predestinantis, qui est intentio: & primo ad Deum omnibus creaturis intellectualibus salutem expetit uel antecedenti uoluntate?

Respondeo affirmatiue. Ita ut ante peccati prauisionem, Deus neminem reprobauerit, ne quidem negatiue, non uolendo illi beatitudinem, & multo que minus uoluerit quenquam damnare aut miserum reddere: sed contra, omnes ad uitam aeternam ordinauerit, licet non ad eam efficaci uoluntate, ut non potuisset permissionem oppositi: efficaciter tamen secundum quid, & eod usque ut media valida constituerit per que salutem consequerentur omnes, nisi malitia, uel negligentia creaturarum obstarat.

Probatur efficaciter ex 1. Tim. 2. *Vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire.* Vbi sermo quidem est de hominibus: sed non fuit deterit: conditio Angelorum, qui pariter omnes ad gloriam ordinati fuerunt: siue quia fuerunt sanctificati in instanti sue creationis: siue quia ad salutem & sanctitatem uocati: siue quia in eum finem creati omnes, sicut & ij qui remanserunt, & re ipsa finem illum consecuti sunt. Quod autem Paulus loquitur uniuersum de omnibus hominibus, patet primo ex uniuersali locutione, *Vult omnes homines saluos fieri*, que locutio sine necessitate non est restringenda. Secundo, ex duplici probatione, quam Paulus subiungit. Prima est, *quia vnus est Deus omnium.* Quo nomine cura & prouidentia paterna in omnes designatur. Secunda quia, *vnus est mediator Dei & hominum, homo Christus*



Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Tertio ex verbis proxime antecedentibus, quibus iubet, aut hortatur, orare pro omnibus, quia, inquit, hoc bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo: qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Quare sicut particula, Orandum pro omnibus, extenditur ad omnes: ita & particula, Vult omnes homines saluos fieri. Sicut item redemptio extenditur ad omnes omnino; sic & voluntas saluus. Sicut denique Deus vnus est omnium, & Christus vnus mediator omnium: ita Deus & pater & Dominus omnium vult omnes saluos fieri. Deum autem vnus est omnium absolute: Christus etiam vnus est omnium mediator absolute: ergo & omnes absolute vult saluos fieri.

Dices Christum non pro vnoquoque, sed tantum pro multis dedisse semetipsum in redemptionem. Ergo extrema Pauli verba non sunt vniuersaliter de omnibus intelligenda. Probat antecedens ex Christi verbis Mat. 26. v. 28. Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Vnde D. Augustin. in Enchir. cap. 103. & lib. de correp. & grat. cap. 15. Idem Pauli citatum ita explicat: quod velit Deus saluos fieri omnes, non absolute, sed vel eos omnes qui saluantur, & vulgo dicimus, talem docere literas omnes vros infantes, id est, omnes qui eas discunt: Vel secundo, omnes secundum genus, id est, aliquos ex omni genere hominum: vel tertio, omnes quidem absolute & vniuersaliter, sed causaliter tantum; quia facit nos velle, vtpote qui nesciamus, quinam sint electi. Quas tres explanationes probat ex similibus Scripturae phrasibus, quas ibi commemorat. D. Thom. quoque eandem approbat, quaest. 19. artic. 6. ad 1. & quartam addit de voluntate signi non beneplaciti. Augustinum praeterea sequuntur Prosper subobscure in responsione ad capita Gallorum cap. 8. Fulgent. de Incarnat. & grat. cap. 31. Beda & Anselm. ad locum Pauli citatum. Qui omnes plurima habent ex Augustino transcripta magis, quam propria.

Ad haec respondeo primo, sanguinem Christi fuisse sumum quoad valorem & intentionem pro peccatis omnium iuxta illud 1. Ioann. 2. Ipse est propitiatus pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. Alioqui pro quibus non fudisset sanguinem, illi nihil ei deberent eo nomine. Et quidem Christum fudisse sanguinem non pro illis solis qui saluantur, sed & pro illis qui pereunt, docet Scriptura 1. Cor. 8. v. 11. Et peribit infirmus in tua scientia & frater pro quo Christus mortuus est. Et in Synodo Arelateni habita circa annum 461. vel potius vt alij putant, circa annum 524. approbata fuit epistola Fausti Regiensis ad Lucidum prebiterum, in qua jactat anathema in eum, qui

dixerit quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines saluos esse velit. Eundemque errorem abiuravit Lucidus in epistola ad aliam synodum Lugdunensem, qua de illo & quibusdam alijs fuerat admonitus & correctus, vt videre est tom. 3. Concil. nouae editionis pag. 823. 824. & 825.

Respondeo secundo, explicaciones allatas esse coactas, neque satis conuenire cum litera bene parpensa, vtriusque in textu antecedentibus. Vnde aliter quam D. Augustinus, Paulum nobiscum interpretantur communiter sancti Patres, Ambrosius, Hieron. Clemens vterque, Damascenus, Hilarius, Crisostomus, Origenes, Chrysostom. & alij plurimi, quos citat & sequitur Magalianus, & Cornelius a Lapide, & alij recentes & accurati interpretes, ad versum citat. 1. Tim. 2. Aliter inquam, interpretantur ac D. Augustinus locis supra citatis, si hunc esse integrum & adaequatum sensum verborum Pauli intellexerit, & non potius significare voluerit, Deum dupliciter velle omnes homines saluos fieri, efficaciter scilicet, & ineffaciter. Priori modo non vult omnes simpliciter, sed ex omni genere aliquos. Posteriori, vult omnes simpliciter, vt idem Augustinus affirmat, vel Prosper eius doctrina, in responsione ad obiectiones Vincentianas, Respon. 2. vbi Pauli v. 2. 1. Tim. 2. eodem sensu nobiscum exponit. Vt etiam facit idem Prosper lib. 1. de vocatione gentium cap. 91. & S. Thom. quaest. 23. a. 4. ad 3. eandemque expositionem approbat loco supra citato in obiectione.

Respondeo tertio singillatim ad singulas expositiones contrarias: Primam quidem non conuenire Pauli verbis praecedentibus, quibus hortatur nos vt oremus pro omnibus hominibus, & non tantum pro saluandis. Etenim certum est debere nos pro salute omnium aliorum orare, illamque procurare, quando nostra opera est illis necessaria. Ergo cum in eodem textu Deum velle omnes saluos fieri, intelligit omnes simpliciter, & non tantum saluandos. Maxime quia pro motiuo orandi pro omnibus affert, quod Deus velit omnes saluos fieri.

Eodem argumento refutatur secunda expositio, quod scilicet Deus velit omnes homines saluos fieri secundum genus tantum, id est, aliquos ex omni genere, ex Latinis, Graecis, Hebraeis &c.

Contra tertiam, quod Deus velit tantum causaliter omnes homines saluos fieri, id est, faciat nos velle, sicut Roman. 8. dicitur Spiritus sanctus postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id est, facit vt postulemus: oppono primo, verba Scripturae esse in proprio sensu interpretanda, quantum fieri potest. Nihil autem magis priorem locum Pauli metaphoricè interpretari, vt posteriori: quia nullum est inconueniens in eo quod proprie Deus velit omnes homines saluos fieri: sicut est manifesta absurditas in eo quod Spiritus sanctus proprie oret & gema-

Aug. 103. Enchirid.

D. Thom.

Christus pro omnibus hominibus mortuus est.

Magal. Corneli.

Prosper. Thom.

28. Deus vult absolute omnes saluos fieri.

29. Refutatur alia sententia contraria.

TENO  
S.  
PART

inenarrabiliter. Si tamen eo loco sermo est de Spiritu sancto, & non potius de spiritu orationis, id est, de dono speciali orandi, quod tunc temporis dabatur quibusdam fidelibus, ut oraret pro alijs publice in Ecclesia; quemadmodum S. Chrysostomus interpretatur hom. 14. in epistola ad Roman. Oppositio secunda, Paulum ad nos excitandos ut oremus pro omnibus, ac proinde ut velimus orare, & consequenter ut velimus eorum salutem, pro qua precipue vult nos orare: Paulum, inquam, ad hoc persuadendum assumere tanquam motiuum, quod Deus velit omnes saluos fieri. Ergo supponit Deum id velle, & non Deum efficere ut velimus. Alioquin supponeret nos facere id, ad quod faciendum vult nos mouere: & pro motiuo ad agendum, assumeret ipsum opus iam factum.

Chrysof.

30. Considera quartam, Dico illam tribuere Deo simulationem in re grauissimi momenti, Deo plane indignam. Nempe quod Deus non velit interius omnes homines saluos fieri: sed tantum ita se gerat exterius, ac si vellet. Estne verò credibile Deum non velle saluare eos pro quibus ita se gerit, *ut proprio silio non pepercerit, sed pro nobis omnes illi tradiderit?* Rom. 8. v. 32. Deinde Deus tantum simulat exterius se velle interius salutem omnium hominum; Paulus ad eandem dissimulationem nos hortatur, sufficitque nos ita gerere exterius ac si vellemus. Dices esse differentiam inter Deum, & nos; quia nescimus quidnam sint non saluandi: Vnde de quolibet presumere debemus, esse saluandum, & Deum velle ut saluetur. Respondeo certum esse ex Scriptura paucos saluari, comparatiue ad reprobos: & in quibusdam apparere multa indicia futuræ damnationis, ut in hæresiarchie, quorum nullum vnquam conuersum esse notant graues Historici. Contra quæ indicia non tenemur postuere iudicare illos esse saluandos. Sicut quando multa apparent indicia externa maliciæ internæ alicuius, non tenemur presumere illum esse bonum: neque prudenter possumus illa iudicare.

31. Contra eandem expositionem faciunt alia Scripturæ loca, in quibus Deus testatur nolle se mortem peccatoris, *sed ut magis conuertatur, & viuat*, Ezech. 18. *Nolens alios perire, sed omnes ad penitentiam reuerti*, 2. Pet. 3. Hortaturque omnes ad benignitatem, misericordiam, ceteraque virtutes Ephel. 4. in fine, & cap. 5. initio. Proponit denique omnibus in comune mandata, & sacramenta, ut salui fiant, Marc. ult. v. 15. & 16. Quæ omnia ostendunt euidenter voluntatem antecedentem de se efficacem aliquatenus, licet in omnibus non forciatur plenum effectum. Confirmatur, quia Deus aut velle vult, ut quilibet hominum adultus, & ratione vtens, recte viuat vsque in finem: aut non vult, neque curat. Si vult; quare non ergo velit de vnoquoque, ut saluus fiat? Si verò non curat, neque vult; cur ergo omnibus mandata dat, & omnibus præbet aduentum, ut sacramenta, & similia? Item si

Probat  
alijs script.  
locis Deum  
velle omnes  
saluare.

Deus non vult vnumquemque recte viuere, ergo illi de quibus non vult, ut bene viuant, non offendunt Deum in re, cum male viuunt: quia contra eius voluntatem non faciunt. Item, si Deus non habuit verum salutis studium erga omnes, deberet vi suæ intentionis cauere, ne erga quos studium illud non habuisset, eis gratiam vtilem; & efficacem daret: neue mandata obseruarent, quorum obseruatoribus generaliter salus promissa est. Item, si Deus quosdam reiecit antecedenter, Christus se pro illis non tradidit. Cur enim? Cum finis mortis, & mortuorum Christi, ad quem omnia referuntur, sit vita æterna, iuxta illud Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum &c. ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Atqui Christus pro omnibus mortuus est, 2. Corinth. 5. v. 15. 1. Corinth. 8. v. 11. Rom. 5. v. 18. & alijs locis supra citatis.

Accedit denique communis consensus Theologorum id affirmantium, qui illam Dei voluntatem idcirco vocant antecedentem, quod illam Deus à seipso habuerit, non data occasione ex parte creaturæ, nec consequenter ad hominum opera, vel præuisionem status finali. Quem loquendi modum S. Thomas q. 23. a. 4. ad 3. cæterique Theologi sumpsere ex D. Damasc. lib. 2. de fide cap. 29. Vbi sic habet: *Sciendum est Deum antecedenter velle omnes saluari, & regno ipsius potiri: non enim ad puniendum formauit nos, sed tanquam bonus ad suæ bonitatis communionem. Peccatores autem vult punire tanquam iustus. Dicitur ergo prior voluntas antecedens, & beneplacitum, quam ex se concepit. Altera vero consequens, & permissio, ex nobis causam habens.* Hucusque S. Damasc. qui voluntatem, quam hic vocat antecedentem, & beneplacitum; in Hoplotheca contra Manichæos, non longe à fine, vocat prædestinationem bonitatis, & prædestinationem primariam, siue antecedentem, cum sic ait: *Prædestinatione bonitatis, & antecedente vult Deus omnes saluos fieri*

32. Ex his omnibus satis constare poterat veritas doctrinæ propositæ. Quoniam autem inepte, non minus quam calumniose, à quibusdam recentioribus ut Pelagiana traducitur, lubet alia addere, quibus illa calumnia manifestè conuincatur. Primum igitur ad probandum doctrinam illam non esse Pelagianam, sufficeret dicere nusquam illam damnari inter errores Pelagij, aut Semipelagianorum, siue à concilio Palestino seu Diospolitano, Mileuit, & Arausicano, contra illos celebratis, & in canonibus contra illos factis: siue etiam à Celestino Papa in articulis contra eosdem stabilitis, & ad credendum toti Ecclesiæ propositis, in eius epistola ad Episcopos Gallia, quæ habetur in fine comiti 7. operum D. August. Cum enim Pelagianum vocandum, & censendum sit, non quid quid à Pelagio, & sequacibus dictum fuit, sed quod in illis Ecclesia damnauit; liberum est ab hæresi Pelagiana, quid quid inter eius

articulos damnatos non apparet. Secundo, haereticis Pelagij, & Semipelagianorum impugnatur v. noua ab August. Hieronymo, Prospero, Coelest. & alijs, qui eam nascentem represserunt. Desinat in cessare uoluntas uelustatem, inquit Coelest. in epist. sup. citata, paulo post initium: Et August. lib. 4. aduersus duas epistolas Pelagianorum, cap. 8. sciatis, inquit, a nobis rectam, & antiquitus fundatam Catholicam fidem, aduersus recentem Pelagianorum haereticorum praesumptionem perniciosam defendi. Et cap. 12. Quibus demonstratur quomodo sit haec quam tenemus fides uera, uerique Christiana, atque Catholica, si ut per scripturas sanctas antiquitus tradita, sic a Patribus nostris, & usque ad hoc tempus, quo isti eam conuellere tentauerunt, retenta, atque seruata, & deinceps propitio Deo retinenda, atque seruanda. Similia habent Prosper lib. contra Collatorem cap. 41. & Vincentius Lirinensis lib. aduersus prophanas haereses nouitates, inter principium & medium. Ergo si doctrina de uoluntate saluandi omnes fuit ante Pelagium, & ante tempora D. Augustini tradita, & credita, magno praesertim SS. Patrum consensu, manifestum est illam ad Pelagij dogmata minimè pertinere. Acquisita esse patet ex testimonio frequentibus. Clemens Rom. lib. 2. Constitit. Ap. post. cap. 59. affirmat se hanc doctrinam ab Apostolis, & discipulis Christi, imò ex ore ipsius accepisse, h. uerbis: Nos ergo, inquit, qui ad igni facti sumus, ut essemus testes aduentus ipsius cum Iacobo fratre Domini, & alijs septuaginta duobus, & septem Diacois eius, ex ore Domini nostri Iesu Christi audiuimus; & perfecte scientes dicimus quae sit uoluntas Dei bona, glaciens, & perfecta, per Iesum Christum nobis demonstrata, ut nullus intereat, sed uniuersos homines unanimes sententia credentes ei, & unanimentem laudem ferentes, uiuant in aeternum. Orig. homil. 34. in Matth. longè post medium: Quantum ad se, homines non ad perditionem creauit Deus, sed ad uitam & gaudium. Et lib. 4. Contra Cellsum, paulo post initium, Iesum uocat medicum uniuersorum, quantum in ipso est. Seruator enim uenit omnibus hominibus. Cyprian. epist. 76. aliquantò ante finem, Si aies omnibus equaliter nascitur, & si sol super omnes pari, & equali luce diffunditur: quantum magis Christus, sol & dies uerus, in Ecclesia sua lumen uitae aeternae pari equalitate largitur, id est, sine ulla exceptione distinguente. Et paulo post: Alhuc uerò cum singulis inquit, ad donarium uocentur, quid est, ut quòd a Deo equaliter distribuitur, humana interpretatione minuat? Chryso. homil. 7. in cap. 1. Ioann. ipso initio: Si illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, quoniam pacto tot homines sine lumine permanent? neque enim omnes Christum cognofcunt. Quomodo ergo illuminat omnem hominem? Illuminat profecto quantum in ipso est. Si qui autem sponte sua mente oculis conuulterunt, ad huius lucis radios aciem dirigere noluerunt, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt, sed malitia sua, qui sponte se dono indignos reauerunt. Ambros. lib. de Paradiso, cap. 8. paulo post

initium, Venerat Dominus Iesus omnes saluos facere peccatores: etiam circa impios suam ostendere debuit uoluntatem. Et paulo post Quod in Deo fuit, ostendit omnibus, quòd omnes uoluit liberare. Et in Psalm. 118. serm. 8. ad uerbum illum, Misericordia tua Domine plena est terra; iustificationes tuas doce me; initio sic ait: Mysticus sol ille iustitiae omnibus ortus, omnibus uenit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit: ideo autem passus est, ut tolleret peccatum mundi, si quis autem non credit in Christum, generali beneficio se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore eius ipse se fraudauit: sed quod solis est, praerogatiuam suam seruat: quod imprudentis est, communis a se gratiam lucis excludit.

Tertiò, manifestum est hanc doctrinam non esse Pelagij, si eam tenuerunt Hieron. August. Prosper, & alij, qui eius dogmata haeretica detexerunt, & impugnarunt. Absurdum enim esset, & stolidum, haeresim Pelagij illis impingere, quorum opera, eius errores detecti, & damnati fuerunt: praesertim uerò in libris, quos ad eundem refutandum scripserunt, & qui illam tenuit aperte Hieron. in cap. 11. epist. ad Ephes. ad illa uerba, In quo & forte uocati sumus, ubi sic habet: Vult autem (Deus) ea quaecumque sunt plena rationis atque consueti, uult saluari omnes, & in agnitionem ueritatis uenire. Sed quia nullus absque propria uoluntate saluatur (liberi enim arbitrii sumus) uult eos bonum uelle: ut cum uoluerimus, uelit & ipse sumus in nobis implere consilium. August. in lib. de Spir. & lit. quoniam scripsit contra Pelagium, cap. 33. paulo post initium, Vult Deus omnes homines saluos fieri, & in agnitionem ueritatis uenire: non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo uel bene, uel male utentes, iustis imò iudicentur. Quod cum sit, infidèles quidem contra uoluntatem Dei faciunt, cum eius Euangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, uerum se ipsos fraudant magno, & summo bono, in quoque poenitentibus implicat, & uerturi supplicii potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt. Et Prosp. lib. 1. de uoc. Gent. cap. 1. Queritur, inquit, utrum Deus uelit omnes homines saluos fieri? Et quia hoc negari non potest; cur uoluntas omnipotentis non impeditur inquit? nimirum quia antecedenter, & a se uult eos etiam saluari qui sua culpa, uel aliena pereunt. Et cap. 12. eiusd. lib. Apostoli uerba 1. Timoth. 2. quibus Deus dicitur uelle omnes homines saluos fieri, integrè plenèque uult suscipi a regula quae uniuersa Ecclesia imbutur ne in diuersum intellectum nostro euagetur arbitrio. Ibi demum probat ex ipso textu Apostoli, & consuetudine Ecclesiae orandi ubique pro omnibus, debere absolute & uniuersaliter de omnibus intelligi. August. 2. cap. 2. dicit, quod de saluatione omnium hominum in Scriptura reperitur, nulla contraria argumentatione esse temerandum. Et ca. 16. Affirmat profus pro omnibus mortuum esse Christum. Et in responsione ad primam obiectionem

Coelest. Augusti

Clem. Ap. post.

Origen.

Cyprian.

Chryso.

Ambros.

34.

Hieronym.

August.

Prosp.

M m

FINO  
S.  
part

Vincentij, dicit etiam illos, qui non regenerantur, pertinere ad redemptionem Christi: quippe qui pro omnibus mortuus est. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute diuina, habet quidem in se ut omnibus prosteret sed si non bibitur, non medetur. Ibidem in responsione ad secundam objectionem, sincerissime inquit, credendum, atque proferendum est, Deum velle ut omnes homines saluifant. Siquidem Apost. cuius ista sententia est, sollicitissime precipit, quod in omnibus Ecclesijs piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur, ex quibus quod multi perierunt, perierunt, non est meritum: quod multi saluentur, saluantur est donum. Et in responsione ad obiect. 9. Gallorum, qui liber, aequae ac praecedens, contra Pelagianos, & Semi pelagianos scriptus ab illo fuit. Cum itaque, inquit: rectissime dicatur saluator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram naturam humanam susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: potest tamen dici pro iis tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit: Efficaciter scilicet, id est, cum effectu applicationis mortis eius, & pretij per eam soluti, ut indicant ea, quae sequuntur post responsionem ad objectionem 15. cap. 16. num. 9. Qui dicit quod non pro totius mundi redemptione saluator sit crucifixus, non ad sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem: cum sanguis Domini nostri Iesu Christi pretium totius mundi sit: a quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captiuitate redimi noluerunt, aut post redemptionem, ad eandem sunt seruitutem reuersi.

35.  
Prosper.

Huc etiam pertinet quod iidem sancti Patres dicunt Deum sua gratia iuuare omnes, ut saluentur, quia scilicet omnes saluare vult. Ut Prosper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 31. Elaboratum est, inquit, quantum Dominus adiuit, ut non solum in nobilissimis diebus, sed etiam in cunctis retro seculis probaretur gratiam Dei omnibus hominibus affuisse, prouidentia patris, & bonitate & aequali, sed multimodo opere, diuinaeque mensura: quod omnia, siue obiecta, siue manifesta, ipse est, ut Apostolus ait saluator omnium hominum, maxime fidelium. Quae sententia subtilissima breuitatis, & validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc, de qua agimus, contro. ex se dirimit. Dicendo enim, qui est saluator omnium hominum, confirmat bonitatem Dei super uniuersos homines esse generalem. Adiacendo autem, maxime fidelium, ostendit esse partem humani generis, quae merito sui diuinitus inspirata ad summam, atque aeternam salutem, per alios ben. scilicet prouehatur. Et in respons. ad 3. obiect. Gallorum, affirmat quod aliqui pereunt, non provenire ex eo quod Deus antecederet non voluerit eos saluare: sed ex eo quod ipsi voluntarie peccantes & imp. em. entis, se salute indignos reddiderunt, & quales fieri ex voluntaria prauaricatione praesertunt. De quo Concil. Arelat. celebratum circa annu. 490. anag. thema iacit in illum quod dixerit eum, qui perit non accepisse, ut saluus esse possit.

## SECTIO IV.

An & quatenus voluntas Dei saluandi omnes fuerit efficax?

Superest probandum id quod supra diximus, illam Dei intentionem seu voluntatem antecedentem saluandi omnes non fuisse simpliciter efficacem, ac non compatiens permissionem oppositi: sed tantummodo usque, ut Deum mouerit efficaciter ad preparanda & exhibenda media, per quae omnes salutem consequerentur, nisi obstaret malicia vel negligentia creaturarum: quae media neque paruulis desunt, quantum est ex parte Dei, neque adultis vllis.

Huius autem assertionis prima pars manifestata est. Nam quae quid Deus vult simpliciter, efficaciter & absolute, assequitur infallibiliter. Voluntati enim Dei absolute & simpliciter efficaci nemo resistit, sed semper fortiter effectum. Atqui non omnes ad vitam aeternam perueniunt, sed quod ad homines attinet, multo maior eorum pars ab illa excluditur, iuxta illud Marth. 22. Multi sunt vocati, pauci vero electi.

Secunda vero pars, quod scilicet fuerit aliquatenus efficax, & eo usque ut media parauerit omnibus per se apta & sufficientia ad finem consequendum, sequitur ex dictis factis praecedenti. Vanum enim fuisset, & inutile creaturis, desiderium illud saluandi omnes, nisi constituisset media, per quae possent ad gloriam peruenire. Constituit autem tum Angelis, quos omnes generatim amplissimis donis initio suae creationis ornauit, & mediis plurimis ad gloriam. Aeternam obrinendam instruxit: tum etiam hominibus, quos omnes in primo parente originali gratia donauit. Quae per ipsius culpam amissa, constituit Christum Redemptorem, non minus causam generalem salutis hominum, quam Adamum, iuxta illud Rom. 5. v. 18. Sicut per unius hominis delictum in omnes, &c. Quare ut Deus in primo parente ante peccatum posuerat causam communem omnibus, & ius hereditarium vitae aeternae, quod signum erat habere ipsum voluntatem, communem dandi omnibus vitam aeternam. Ita cum Christus non minus fuerit communis causa salutis hominum secundum Dei intentionem, quam gratia primo parenti collata, & in eo, toti humano generi, sequitur Deum non minus voluisse media omnibus ad salutem necessaria. Neque destitit Deus statim ab ipso primi hominis peccato, tum per se ipsum, aut per Angelos nomine ipsius, diuinitus in specie visibilibus, tum per Prophetas & viros sanctos Veteris Testamenti, tum per Christum & Apostolos ac discipulos, eorumque successores, & imitatores, humanum genus ad penitentiam excitare, & in spem salutis erigere. Multaque media communia instituit in omni lege & statu, licet utcumque ea subiecerit libertati an-

inferiorum, per quos erant ad posteros per-  
tinentia: ita tamen ut ex se neminem exclu-  
derit, & ut omnibus prodesse expetuerit;  
atque ita per media saltem communia omnes  
ad gloriam ordinaverit, quia ex parte Dei &  
secundum ipsius studium ac procreationem  
quam adhibuit, illa fuerunt communia sine  
exceptione, & talia ut omnibus applicari &  
prodesse possent. Præter media verò com-  
munia, plurima constituit specialia, quæ in  
tempore tribuit, licet non omnibus, nec æ-  
qualiter: quemadmodum nec omnes ante-  
cedenter æqualiter dilexit, ut sequenti se-  
ctione videbitur.

37.  
Deus con-  
stituit om-  
nia, etia  
parvulis,  
media sa-  
luta.

Præterea declaranda est tertia pars con-  
clusionis, quæ diximus media de se valida  
non deesse etiam parvulis, qui vel in utero  
matris, vel aliter moriuntur, antequam possit  
remedium originalis peccati illis adhiberi.  
Cuius partis hic sensus est, quod Deus non  
tantum in Adam sufficere providit par-  
vulis, verum etiam remediis generalibus pec-  
cati originalis, quæ deinceps instituit. Hæc  
enim talia sunt, ut profint omnibus, quibus-  
cunque applicantur; & omnibus applicari  
possunt, quantum est de se, atque applican-  
tur reipsa, nisi staret per eos, quibus Deus  
commisit salutem parvulorum, qui ut in alie-  
na voluntate peccarunt, sic saluantur per me-  
dia voluntati aliorum permittit. Nam si Chris-  
tus omne humanum genus verè redemit, &  
Deus verè omnium salutem expetit, atque  
nunc etiam expetit, ut affirmat Paulus 1. Tim.  
2. Et si ut unus delicti mors regnavit per unum,  
multo magis, &c. Rom. 5. v. 17. consequenter  
dicendum est Deum respectu parvulorum  
instituisse remedia generalia, circumcisi-  
onem, baptismum, & si quæ alia fuerunt, talia,  
ut videret posse ex parte hominum, quibus  
committebat parvulorum salutem, applicari  
parvulis.

38.

Cum enim Christus, & Deus, non in con-  
fuso sed distinctissime nosset omnia: idem  
fuisse institui tantum ab ipsis remedia, vel  
vni nullatenus applicabilia: atque illum ex-  
cludere à redemptione, & relinquere in om-  
nimoda salutis impotentia. Quia remedia  
nullatenus applicabilia alicui, non sunt in  
illo statu illi remedia. Et velle alicui salu-  
tem per hæc media ita cognita, non est velle  
salutem sincere. Itaque sentio consequenter  
omnino dicendum, ita commissam fuisse par-  
vulorum salutem parentibus, pastoribus, &  
similibus, ut nisi per illorum culpam, siue in  
generatione, siue in conservatione sceleris, siue  
aliter contractam, staret omnes omnino par-  
vuli forent perducendi ad potentiam physi-  
cam proximam recipiendi baptismum, aut  
simile remedium: Divinâ providentiâ, ob  
Christi merita, præpediente vel differente  
potius modo. Nec ideo est opus, ut sciant  
in particula parentes, vel alii, in quo con-  
sistat tale impedimentum culpabile, propter  
quod Deus non vitur ea providentiâ speci-  
ali erga parvulos. Sed sufficit si generatim  
sciant, quod prudenter, & ex conscientia, se-

Culpa ali-  
cuius sem-  
per staret  
quod par-  
vuli mori-  
tantur sine  
baptismo.

cundum rectam rationem gerere se debeant  
in prole generanda, fovenda & conferuanda.  
Sicut adultis inter ethnicos eductis negat  
Deus specialem providentiam, quâ alii quin  
eos perduceret ad finem supernaturalem per  
fidem, quia ipsi ponunt obicem per peccata  
propria: licet nesciant speciatim quando po-  
nant, aut etiam quod ponant. Quemadmo-  
dum verò parvuli non sunt capaces propria  
volitionis, & sine illa peccarunt in Adam:  
ita convenit ut restitutio illorum ad statum  
supernaturalem, aliorum voluntati permit-  
tatur. Neque debet Deus, quamvis potuerit,  
parvulis melius providere, quam com-  
mittendo curam illorum maioribus, qui de-  
beant pro se & pro illis esse solliciti. Quare  
si parvuli, culpâ maiorum, salutem non con-  
sequuntur; non fit illis iniuria à Deo, qui  
nihil illis debet: sed è contrario illi plu-  
rimum Deo debent, quia sunt in æternum fu-  
turi, licet non beati fructione ipsius, tamen  
neque miseri malo pœnæ possit, aut pri-  
vatione bonum naturalium, quæ in illis ma-  
neant.

Præcedentem doctrinam confirmat S. Au-  
gust. lib. 4. contra Julian. cap. 8. & Prof. lib.  
2. de vocatione gen. cap. 20. ubi post-  
quam sapius inculcavit pertinere ad parvu-  
los illud Apostoli, *Vult omnes homines salvos*  
*fieri, subdit de pragmatice morientibus: Illi*  
*ad eam pertinent gratia partem, quæ semper est*  
*universis impensa nationibus. Quæ utique si bene*  
*eorum viderentur parentes: ipsi per eosdem in-  
uarentur &c.* Videri possunt Lect. sect. 6. de  
prædest. assertione 1. & Valentini. Herice  
disp. 35. num. 7. & 8. ubi nobiscum sentiunt.

49.  
Aug. de  
Prospera

Quod autem Gabr. in 4. dist. 4. qu. 2. art. 3.  
dub. 3. lit. O indicare videtur, & Caietan. 3.  
p. quæst. 78. art. 2. & 11. etiam parvulis intra  
vterum sine vlla baptismi applicatione de-  
cedentibus posse tolli originale peccatum,  
parentum aut aliorum precibus; nimium est,  
& ex Caietano expunctum iussu Pij V. Nec  
inmerito: quandoquidem vident. sess. 6.  
cap. 4. de his sine baptismo, aut eius voto,  
quo utroque carent parvuli, de quibus lo-  
quimur non iustificari quenkum post Eu-  
angelium promulgatum. Et Ecclesiæ velut  
exignium, rarum, & extraordinarium privi-  
legium agnoscit, & commendat eum. Scri-  
ptura, quod Beata Virgo, & Ieremias, &  
Ioânes Baptista, fuerint in vtero sanctificati.

Error Ga-  
brielis &  
Caiet. de  
parvulis in  
vtero mo-  
rientibus.

Dixi in eadem parte conclusionis, etiam  
ethnicis adultis quibuslibet, licet non ha-  
beant prædicationem Evangelij, provideri  
tamen sufficienter. Nimirum quia Deus  
itentidem illos interiorius vocat ad credenda  
ea saltem, quæ necessitate medi sunt ad sa-  
lutem necessaria, nempe Deum esse, & esse  
recompensatorem inquirentibus se Hebr. 11.  
Vocat, inquam, propter Christum, qui est  
*lux vera illuminans omnem hominem venientem*  
*in hunc mundum.* Ican. 1. cui vocationi si obtre-  
perent, Deus ulterius eos promovet. Item  
quia Deus dat illis lumen naturale, quod si  
sequantur, illos ultra prouehet ad vocatio-

46.  
Nō defunt  
ethnicis  
media suf-  
ficientia ad  
salutem.

TINO  
JS.

part.

nem supernaturalem, inspirationibus per se immixtis, & per Angelos custodes, ethnicis etiam deputatis, certe non ut otiosi sint; aut etiam procuratis predicatoribus, & aliis medijs externis, ut demum constituantur in plena potentia proxima ad iustitiam supernaturalem: adeo ut habeant illi iustificationem ex arbitrio suo quodammodo pendente mediate: quatenus possunt non ponere obicem vocationi super naturali per peccata contra legem naturam: quae si vitarent & legem naturalem, quoad possunt moraliter, seruant; Deus ad caetera promoueret. Si autem non seruant: sed sibi impudent. Atque hoc planè indicant sancti Patres, Basil. in regulis fusijs disputatis, regula secunda: Chrysostr. homil. 7. in Ioann. Prosp. lib. 1. de vocatione gen. cap. 5. alique quos sequuntur Toletus ad versum Ioannis citatum, annotatione 29. & Cornelius à Lapide ibidem.

Sequitur lumen naturale, vocantur ad conuersionem.

41.

Dices, opus naturae viribus factum non esse dispositionem ad supernaturalia; alioqui prima gratia non esset gratuita, sed propter bonum opus naturale. Respondeo tale opus, per quod legi naturali paretur, & non ponitur obex peccati, non esse dispositionem, neque ex natura rei ad supernaturalia (quae ex se & connaturaliter non habent connexionem cum his naturalibus) neque etiam ex Dei acceptione, & institutione. Non enim est eiusdem ordinis, nempe supernaturalis; nec talis, ut ea posita, statim sequatur vocatione supernaturalis. Talis enim promissio diuina non existat, nec alicunde certo infertur. Ad sufficientiam quippe redemptionis per Christum, sufficit ut omnes omnino aliquo tempore, quodcumque illud sit, ante mortem sint in vera potentia salutis, idque variè pro vario statu: paruuli, secundum aliorum voluntatem (in quorum numero ob parem rationem computantur perpetui paruuli, non aetate, sed sensu, ut amentes perpetui) adulti verò, secundum propriam voluntatem. Dico igitur tale opus bonum non esse dispositionem, sed remotionem obicis, quae non impedit, quin vocatio prima sit gratuita, sicut foret donatio eleemosynae non in dolenti mendico. Neque vi illius sequitur vocatio; sed sequitur ad illam, gratuita Dei voluntate per Christum. Non est verò absurdus quod haec remotio obicis viribus naturae permittatur, etiam vix praerequisita: quia quod Deus ad iustificationem paruuli praerequirat intentionem, ablutionem, & verborum pronuntiationem, quae omnia fieri possunt naturae viribus, imò etiam malo sine & sacrilegè, per actum ad quem Deus nullatenus excitet. Ad hoc tunc cooperationem naturalem ad eum esse meram remotionem obicis, ut si adultus gentilis occuparetur actionibus pure in differentibus, & nec bene moraliter ageret, nec peccaret, Deus tamen adesset supernaturaliter gratia propter Christum.

42.

Confirmatur ex cap. 1. epistolae ad Roman. vbi postquam à versu 5. ostendit Paulus ethnicos non esse secutos, ut poterant, lu-

men naturale; subdit vers. 26. *Properera traxerunt illos in reprobum sensum, id est, permissi labi in iudicium peruersum de religione & moribus, quasi diceret, denegauit auxilium supernaturale ad fidem, propter abusum naturalium.* Quin etiam puto ex custodia angelorum, praecipue nobis datorum propter ministerium salutis, posse colligi prouidentiam supernaturalem erga ethnicos, & vocationes speciales ad fidem, siue ponant obicem, siue non: adeoque omnes adultos vocari aliquando, ut zelo custodum Angelorum, amorique Dei & Christi erga omnes, consentanum esset.

Liquet etiam ex Scriptura ipsa Deum ab initio mundi hucusque, per omnia saecula & imperiorum mutationes, procurasse identidem media, quibus diuinae reuelationes ad salutem necessariae, possent ad omnes facile peruenire. Nam per Adamum, Seth, Enoch, Noe, aliosque sanctos ante diluuium, posteros eas edocuit: quibuscum etiam non raro colloquebatur. Fuitque tunc tanta apud omnes veri Dei cognitio, ut nullus toto eo tempore in idololatriam incidere, quae madmodum à nonnullis rectè obseruatum est, neque eò vique statum illud in vltis mortalium Scriptura reprehendit. Post diluuium autem, cuius fama sine dubio, & tanta poena toti humano generi propter peccata à Deo illata notitia apud omnes gentes diutissime mansit: postquam successu temporis homines, Dei veri cultu abiecto, idola colere ceperunt: non propterea tamen, ut malè dicunt aliqui, eius cultus deinceps vique ad Christum, apud solos Abrahamitas & Israelitas remansit. Nam Abrahami tempore Melchisedech erat sacerdos Dei altissimi: idemque Rex magnus & sanctus, qui proinde Dei cultum apud suos fouebat & promouebat. Item eò tempore Isaac, erat extra familiam Abrahamae locus, vbi Deus oracula edebat, ac proinde vbi vera fide colebatur, ut constat ex Genes. 25. vers. 22.

Deinde multa miracula fiebant apud Abrahamitas, & veri Dei cultores, aut in eorum gratiam, tam illustria, ut eorum fama posset facile ad alios longè lateque promanare. Cuiusmodi fuerunt incendium Sodomorum & urbium finitimarum, Loth per Angelos erepto & saluo, Gen. 19. Victoria de Pharaone reportata in Aegypto per tot prodigia Exod. 5. & sequentibus. Miracula in deserto per annos 40. & in ingressu terrae promissionis edita, quae narrantur in eodem libro, & toto libro Iosue, ad cuius imperium sol ipse diu stetit. Clades illustris Sennacherib, tempore Imperij Assyriorum & Babyloniorum, facta per Angelum in defensionem templi Hierosolymitani, apud Gentiles notissimi, quae clades non potuit toto imperio non diuulgari. Victoria Iudithae Holoferne sub Rege Nabuchodonosor, & trium puero-rum liberatio ab incendio fornacis Babylonicae, Danielisque praedictiones mirabiles, praesertim circa mortem Belthassaris,

ob vasa templi violata. Ac denique Ionæ prædicatione ad Ninivem regni caput, sub eodem imperio.

45. Paulo post verò, imperio ab Assyriis & Babylonis ad Persas & Medos translato, Darius, qui primus regnavit, vna mirabili Danielis liberatione è fossa Leonum, scripsit uniuersis tribubus, populis, & linguis, habitantibus in uniuersa terra, in hæc verba, *A me constitutum est decretum, ut in uniuerso meo Imperio, & regno meo, tremiscant & paueant Deum Danielis. Ipse est enim Deus viuens & æternus, Daniel. 6. vers. 25, & sequentibus. Cyrus quoque Darij confors, primò regni sui anno, iussit prædicari in uniuerso regno suo, etiam per scripturam, dicens: Hæc dicit Cyrus Rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi ut edificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa. Quis ex vobis est in omni populo eius? Sit Dominus Deus suus cum eo, & ascendat. 2. Paral. 36. v. 22. & 23. & 1. Esdræ 1. v. 2. & 2.*

Iosephus.

Tempore autem Imperij Græcorum, qui Persis & Medis successerunt, Alexandri Magni veneratione exhibita Summo Pontifici Iudæorum, & pollicitatio victoria diuinitus ipsi facta, teste Iosepho lib. 11. Antiq. cap. 8. pœnaque Heliædori templum Hierosolymitanum violatum 2. Machab. 3. quod templum per uniuersum mundum honorabatur pro sui veneratione & sanctitate, vt dicitur eodem cap. vers. 12. & mors Antiochi Regis ob mala Iudæis illata 1. Machab. 6. facile fuit toto Imperio, totòque orbe vulgata.

46. Romanis denique Iudæos fuisse notos, templumque Hierosolymitanum in honore habitum, patet ex iisdem libris Machabæorum, & ex Philone in legatione ad Caium Imperatorem. Iisdemque ac toti orbi innotuerunt, quæ Christus viuens, moriens, & resurgens, per seipsum edidit miracula, ac deinceps per Apostolos & discipulos, quorum prædicatione breui tempore totum mundum peruasit, vt testatur Apostolus Roman. 1. vers. 8. & cap. 10. v. 18. eiusque aliqua memoria apud nationes infidelium remotissimas hucusque perseverat, vt patet ex recentibus Indorum historiis. Quod si aliquæ nationes defecerunt à fide, per Apostolos vel successores sibi annunciata, & ingentibus miraculis confirmata: ipsarum culpa id contigit. Neque propterea debuit Deus per continua miracula fidem apud illas conseruare, vel continuò per similia miracula procurare vt ad frugem reuenterent. Nam vt sapienter ait S. Augustinus. 1. Retractat. cap. 13. post med. *Nec miracula illa in nostra tempora durare permittita sunt: ne anima semper visibilia quereret: & eorum consuetudine frigeret, quorum nouitate flagrauit. Et cap. 14. paulò ante finem. Non mouerent, nisi mira essent. Si autem solita essent, mira non essent. Quamquam non rarò Deus sanctorum miraculis, & prædicatione mirabili, huiusmodi defectiones præuenit: vt videre est in historiis Ecclesiasticis.*

47. Fuerunt etiam omni ferè tempore veri

Dei cultores per infidelium nationes dispersi, siue necessitate, siue propria voluntate: Diuina prouidentia id procurante aut permitte, vt infideles possent illorum operâ ad veram religionem adduci. Sicut Principi Naaman contigit operâ Hebrææ ancillulæ 4. Reg. 5. De Iudæis quidem id constat ex historiis de variis eorum captiuitatibus, & abductionibus ad terras alienas, apud Ieremiam, & Ieros Regum Paralipomenon, & Esdræ. Et Actor. 2. v. 5. dicitur Iudæos, viros religiosos, conuenisse Ierosolymam, ex omni natione quæ sub cælo est. De Christianis verò iam diximus Apostolos & discipulos breui tempore nationes omnes penetrasse. Quarum multæ in notitia Christi hucusque permanferunt. Apud alias quæ defecerunt, fuerunt sine dubio nonnulli qui diu persisteant, liberosque in vera religione retinerent, vt videmus fieri iis in nationibus aut regnis, quæ à vera fide ad hæresim declinant: diuissimè enim inter hæreticos perseuerant aliqui Catholici. Fuerunt etiam qui ad illa deferrentur vel tempestatum vi, vel commercij causa, vel peregrinandi desiderio. Et iam à multis annis Christiani prædicatorum ad extremas vtriusque orbis partes penetrarunt, Iaponios, Sinas, Canadenses, Mexicanos, &c.

Obiicies illud Pauli ad Athenienses Act. 17. v. 30. *Et tempora quidem huius ignorantie despicit Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes ubique penitentiam agant.* Et Ecclesiasticis 7. vers. 14. *Considera opera Dei, quod neque potest corrigere, quem ille despexerit.* Et Trident. sess. 6. cap. 11. *Deus sua gratiâ iustificatos non deserit, nisi prius ab ipsis deseratur.* Quibus verbis duo indicantur sententiæ nostræ contraria. Primum est, Deum ante aduentum Christi, per multa sæcula Gentiles despexisse, & sine auxiliis necessariis ad penitentiam reliquisse. Secundum est, Deum aliquos in particulari ita despiciere & deserere, vt corrigi nõ possint, adeoque careant auxilio sufficienti ad salutem.

Ad primum Respondeo sensum illius dici esse, quòd Deus despiciens, id est dissimulans tempora, ignorantie præteritæ Gentilium in cultu idolorum, & perinde se gerens, ac si idolis non seruisset, vt fecerunt per ignorantiam (quo vultus videtur Paulus ad mirandũ eorum peccatum) offert illis beneficium mortis & meritorum Christi, eisque Euangelij prædicationem, vt agant penitentiam; neque ita est illi indignatus propter scelus idololatriæ, vt à salute eos repellat, sed perinde inuitet, ac si tale peccatũ nõ admississet.

Ad secundum Dico, licet potuerit Deus iuste discernere, vt quidam propter malitiam, ante finem vitæ desererentur omninò: probabilius tamen esse Deum constituisse nemini deesse ante mortem, qui ageret quod in ipso esset: nec quendam totaliter & omninò deserere. Potuit quidem Deus iuste illud discernere. Nam etiam propter vnicum peccatum mortale posset iuste damnare. Atque ita fortè Angelos statim & immediatè

Fuerunt ferè semper, & ubique, aliqui veri Dei cultores.

48. Oppositio ex Scriptis diluitur.

Deus non deserit totaliter peccatores.

post peccatum damnauit, & in aeternum abiecit. Sed non tam seuerè cum hominibus agit, quos potius ad poenitentiam expectare mauult, ad eamque uult omnes reuerti 2. Petr. 3. Neque eius uoluntas est mors impij, sed ut conuertatur & uiuat. Ezech. 13. Si autem uult impios omnes conuerti, & reuerti ad poenitentiam: consequens est ut eos ad illam iuuet & excitet. Alioquin enim quomodo uellet Deus ut conuertantur, cum non possint conuerti sine eius pramotione & excitatione, ut habet Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 3. Et quidem patet ex Scriptura Deum uel ipsos peccatores maximos & obstinatissimos, post plurima grauissimaque scelera iuuisse ad conuersionem ut Pharaonem, Nabuchodonosorem, Manassem Regem, & supra modum rebelles Iudæos mortis Christi reos, de quibus dicebat Matth. 23. *Quoties uoluisti congregare filios tuos, &c.* Et quorum multi tandem conuersi sunt Actorum 2.

Neque obest illud quod ex Ecclesiaste & Tridentino obijcitur. Nam Ecclesiastis sensus est, quod nemo quidem possit corrigere illum, quem Deus deserit, quamdiu deserit. Sed non inde sequitur, quod Deus aliquem deserat ac despiciat, non ad tempus tantum, sed totaliter & omnino. Tridentinum uero loquitur de gratia habituali, quæ Deus iustificatos non deserit, nisi prius ab illis per peccatum mortale deseratur, ut patet ex uerbis præcedentibus eodem capite.

Quo sensu  
is intelligi  
debeat?

Notandum tamen hæc non ita esse intelligenda, quasi Deus semper & omnibus auxilia gratiæ offerat usque ad ipsum instans mortis. Sufficit enim si aliquando ante, & aliquoties temporibus opportunis, maxime quando urget grauis tentatio quæ sine gratiæ auxilio uinci non potest: aut quando urget obligatio alicuius præcepti, quod sine eodem auxilio seruari nequit. Et quidem si non daretur sufficiens auxilium ad uincendam tentationem, & seruandum præceptum: non peccaret qui non uinceret, & qui præceptum non seruaret. Quia ubi non est potestas ad oppositum, non est libertas: & ubi non est libertas, non est peccatum. Non peccaret, inquam, hic & nunc, & in eo præcisè, quod non agit id quod non potest. Potuit tamen peccare in causa, quando nimirum per peccatum antecedens reddidit se indignum auxilio, quo caret sua culpa. Atque ita de Pharaone sentisse uidetur D. August. in expositione quarundam propositionum in epistol. ad Roman. cap. 6. ubi sic ait: *Non hoc ergo illi imputetur, quod tunc non obtemperauit, quando quidem obdurato corde obtemperare non poterat: sed quia talem se præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate.*

Notandum præterea gratiæ auxilia non dari omnibus æqualiter, sed quibusdam maiora, aliis minora: quibusdam plura, aliis pauciora. Et quidem plura & maiora solent accipere illi qui bene uiuunt acceptis, curantque progredi magis ac magis in uia iustitiæ & sanctitatis, per frequentem usum sa-

cramentorum, & exercitium uirtutum sæpe per naturalium, præcipueque charitatis.

## SECTIO V.

*An Deus antecedenter omnes æqualiter dilexerit?*

Respondeo tamen si Deus antecedenter omnes creaturas intellectuales præordinauit ad gloriam, & omnibus de medijs sufficientibus prouidit, ut huc usque probatum est: non tamen omnes æqualiter dilexit, etiam antecedenter, neque omnibus eadem, aut æqualia media destinauit: estque aliquod discrimen, etiam antecedens, admittendum inter media electis ac reprobis destinata, quamuis nec physica prædeterminatio, nec infallibilis certitudo assequendi effectum, ante præsumum libertatis euentum, admittenda sit.

Prima pars responsi, quod scilicet Deus non omnes æqualiter dilexit, etiam antecedenter, id est, ante, non data occasione ex parte creaturarum, probatur ex inæqualitate gratiarum, quas Deus antecedenter uoluit & pure gratuita distribuit creaturis intellectualibus. Nam Deus, iuxta sententiam D. Thomæ, & communem Theologorum, præuenit Angelos gratis in æqualibus, maiores tribuendo illis, qui naturæ præstantiores erant: ita ut in eorum distributione Deus seruauerit proportionem naturalis perfectionis, & maiores dederit naturis perfectioribus, quarum ope maiorem gratiam sanctificantem assecuta sunt, liberè illis cooperando. Deinde inter homines Deus aliquos præuenit specialiter in benedictionibus dulcedinis, ut ad coronam gloriæ pretiosorem eos perducatur. Ita uero illis planè antecedenter amore & beneficio conferat gratiam singularem & eximiam, uel peculiari & extraordinario prouidentia modo erga illos utatur in ordine ad finem supernaturalem: siue in utero materno, ut contigit Beatæ Virginis, Jeremie, & Ioanni Baptistæ; siue in infantia, ut Nicolao Myrensi, Catharinæ Senensi, & similibus: siue in adulta ætate, ut Mariæ Magdalene, Mariæ Aegyptiacæ, & pluribus aliis, etiam post graua peccata, extraordinarie à Deo præuenit, & ad eximiam sanctitatem uocatis atque perductis. Alios uero communibus tantum & ordinariis uocationibus præuenit: eoque prouidentia modo cum illis se gerit, ut moraliter nequeat ad tam illustrem sanctitatem peruenire. Ac sicut in ordine naturæ magnam intendit & constituit uarietatem inter creaturas quæ inæqualiter eius bonitatem & perfectionem participant: ita & in ordine gratiæ. Cum autem uelle & facere alicui bonum, sit illum diligere: inæqualis illa uoluntas & distributio gratiarum pure gratuita, non est in Deo sine inæqualitate amoris antecedentis, & inæquali affectu non solum circa media, sed etiam circa finem ipsum. Cum enim media expectantur & adhibeantur propter finem: qui uult alicui

media



media præstantiora, in ordine ad finem, magis quæ illi finem desiderat. Atque ita Deus vult magis gloriam illis specialiter dilectis antecedenter. Magis, inquam, etiam intensiue ex parte obiecti, id est maiorem gradum gloriæ. Quia vult & adhibet præstantiora media, ut illorum ope excellentiorem gloriam consequantur, eamque illis optat ex animo: vult enim ut media plenum effectum sortiantur, sicut re ipsa fiet, nisi per creaturam flet.

Neque est vllum inconueniens, quod Deus, omnium Dominus, etiam antecedenter, inæqualiter diligat, & in regno cælestium varietatem & distinctionem aliquam intenda. Ex qua tamen inæqualitate, beneficiorum & auxiliorum malè colligunt aduersarij, eos qui sic præueniuntur peculiariter, fuisse electos antecedenter, absolutè & efficaciter: quasi præter huiusmodi electionem non possit esse alia causa, in quam talia beneficia referuntur. Possunt enim procedere ex speciali Dei affectu, quo alios præ alijs diligat, illisque maiorem gloriæ gradum sperat: qui tamen affectus non fit antecedenter efficaciter & absolutus circa gloriæ assecutionem: sed conditionatus, si nimirum ipsi Dei intentioni, & eius gratiis præuenientibus cooperentur, ut par est. Cuius conditionis defectu, multi, ex iis etiã qui speciali modo præuenti sunt, ut Salomon, & Iudas, à salute exciderunt.

53.  
Est ali-  
quod di-  
scrimen an-  
tecedens in-  
ter media,  
electis &  
reprobis  
destinata.

Cæterum Deus media decernens siue communia, siue specialia, antecedenter in illa ut valida intendebat, & non in illa quatenus propter culpam creaturæ sæpè non erant effectum habitura. Cõsequenter verò, approbando bonum vsu & permittendo malum, tendebat in id quod contingenter ex libertate volutatis creaturæ erat euenturum. Neque quærebat ipse hanc differentiam, ut quidã consentirent, alij non: sed ex vero desiderio finis & sensus, decreuit omnia media quæ in tempore tribuit ex eodem affectu: quamuis Deo permittente illa eius dilectio non omnibus profuerit, ne quidem omnibus eximè dilectis & præuentis.

Auxilium  
congruum  
est maius  
beneficium  
antecedens.

Secunda pars cõclusionis, de discrimine antecedenti inter media electis & reprobis destinata, declaratur in hunc modum. Primò, quod Deus eligendo seriem, in qua cognoscebat media illa, quæ ad salutem destinabat electis, esse illis profutura, reprobis minimè bene voluerit specialiter iis qui in illa serie futuri erant beati, & quibus media illa, in iis circumstantiis, quibus eligebantur, futura erant congrua, & efficaciam; illis, inquam, bene voluerit specialiter præ alijs, quibus non talia elegit media, per se ipsum cum est, si sermo sit tantum de beneuolentiæ maiori materialiter: id est, de voluntate dandi bonum aliquo modo maius aut melius accipienti. Est enim euidenter illi melius, id quod illi profuturum est: & maius beneficium est illud, quod quisque prudens, omnibus ritè perpensis, mallet sibi conferri. Nullus autem est qui non mallet sibi conferri gratiam profuturam. Verum quia sensus cõclusionis est, quod fuerit maior Dei beneuolentia erga illos, etiam formaliter, dubitari potest quomodo id coherereat cum dictis disp. 19. n. 50. Deum non elegisse

media illa ut profutura, sed tantum ut de se apta prodesse: quo pacto etiam reprobis elegit. Ex quo sequitur non fuisse maiore beneuolentiam & beneficentiam formaliter erga vnos, quam erga alios, neque maius beneficium in ratione beneficij. Nã sicut ad hoc, ut actus sit honestus & actus virtutis, non sufficit velle honestum, sed oportet velle honestum quia honestum & quia est honestum: sic ut sit virtus beneuolentia & beneficentia, oportet velle bonum quia bonum, seu quia est bonum: & beneficium quia beneficium. Similiterque ut sit maior beneuolentia & beneficentia formaliter, oportet velle bonum & beneficium maius formaliter quia maius est, & quia maius est. Atqui media, de quibus loquimur, non sunt generaliter loquendo maius beneficium, nisi quatenus sunt profutura, & quia sunt profutura: ergo si Deus non ea vult & eligit ut profutura, non habet maiorem beneuolentiam & beneficentiam formaliter. Adde quod Dei beneficia non sunt æstimanda ex bono vel malo vsu creaturæ. Alioquin prædicatio ordinaria, vel aliqua vocatio communis, quæ alicui est causa conuersionis, esset maius beneficium quam exhibitio personalis Christi, eiusque sermonum exemplorumque virtutis & miraculorum, ad quæ Iudæi non sunt conuersi.

Respondeo Deum non eligere quidẽ prædestinatis media ut profutura, & quia profutura: & reprobis, ut non profutura, absoluta & antecedenti voluntate, ut rectè docent Herice disp. 23. cap. 8. nu. 92. vbi ait: *Passo Deum velle absolute voluntate dare totam auxilij efficaciam physicam existentem, quin directè velit efficaciam eius. Imò se verum esse prædestinationem absolutam pugnare cum libertate arbitrij, non potest Deus absoluta voluntate velle efficaciam auxilij, de quo longa nobis restat disputatio capite sequenti.* Illo autem capite sequenti fusè probat absolutam intentionem & prædestinationem pugnare cum libertate arbitrij: & Lessius non modo in tract. de gratia, & in disp. de prædest. sanct. sed & in opere longè post edito, de perfectionibus diuinis li. 14. cap. 2. nu. 53. *Abdoct scientiam conditionalem non esse Deo ordinariam regulam distributionis gratiarum, quas electis & reprobis confert. Esset autem regula ordinaria si electis conferretur auxilia ut congrua, in sententia eorum omnium, qui physicam vel moralem prædeterminationem non admittunt. Sed quamuis ita sit, & hæc in parte cum auctoribus illis cõsentiant Dico nihilominus Deum habere affectum voluntatis erga media quæ profutura, & quia profutura: nempe affectum complacentia in eo quod re ipsa proderunt, quodque de facto positum & scientia conditionalis transit in absolutam: eligensque cum illa complacentia, magis bene vult, & confert maius beneficium, etiam formaliter. Porro licet tota præstantia beneficiorum Dei non sumatur ex bono vel malo vsu creaturæ, sed aliqua eorum quibus creatura non vitur, habeant aliunde longè maiorem excellentiam, ut patet exemplis in obiectione allatis: nihilominus, tamen beneficium quod datur cum præscientia*

boni vsus futuri, & cum complacencia in eo quod sit profuturum, est maius moraliter ex eo capite. Et in eo differunt media data prædestinatis, ac præcellunt moraliter, quod sint illis profutura finaliter, denturque cum illa complacencia, & speciali benevolentia circa prædestinatos, quibus profutura sunt.

55.

Hæc autem voluntas fuit antecedens & beneficium antecedens, non quidem scientiam conditionalem ( implicat enim in adiecto vt Deus elegerit media, quæ præuidit profutura si daret, ante scientiam conditionalem ipsorum: neque id Suares & alij nobis aduersantes affirmant ) sed fuit antecedens, id est, ex Deo ipso pro suo mero beneplacito, non ex occasione data ex parte creaturæ: cur hanc totam seriem medicum illi destinaret, præ alia. Nam quod Deus omnes rerum series possibles perfectissimè intelligens, & omnem ordinem rerum, circumstantiarum, & auxiliorum possibilium, tum in hac rerum serie quæ nunc est, tum in alia quavis: cognoscens item per scientiam mediam quid si hunc aut illum ordinem eligeret, & creaturas intellectuales in his aut illis circumstantiis poneret, ex parte ipsarum, etiam liberè, futurum esset: elegerit hanc seriem, & hunc ordinem rerum, auxiliorum, & circumstantiarum, in quo præuidit hos vsuros mediis salutis, in eoque sibi complacuerit, præ alio ordine, in quo non erant viui; id à Deo factum est pro suo mero beneplacito. Sicut etiam respectu reproborum, quod elegerit hanc seriem, in qua videbat non viros mediis, præ alia in qua videbat vsuros, volueritque illud permittere, fuit ex Dei beneplacito, atque eatenus antecedenter ex Deo ipso. Absit verò vt elegerit, quia præuidit non vsuros, quod cogitare impium est, & à Dei sinceritate, veroque salutis desiderio planè alienum.

56.

Dices, illud etiam quod nos asserimus, repugnare verò desiderio salutis: Deum scilicet optasse salutem reprobis per ea media, quæ sciebat non esse profutura. Respondéo non ita esse: quia Deus optauit salutem per media illa, non quatenus nihil erant effectura, sed quatenus erant bona & profutura, nisi alitia vel negligentia creaturæ obstitisset. Elegitque seriem illam & ordinem rerum de se bonum & conuenientem, vt talem: quamuis in eo multe perperam futura essent ex malitia vel negligentia creaturarum, quæ Deus permisit, vt libertati & conditioni naturali creaturarum se accommodaret ex officio causæ primæ.

Instabis, quia melius fuisset perituris non creari quam creari, & poni in illo rerum ordine. Ergo Deus non bene illis voluit antecedenti voluntate. Respondéo negando consequentiam. Quia licet non bene voluerit illis, quatenus erant perituri; ta-

men bene voluit quatenus per illi dona poterant salui esse. Neque illis nocuit per se, creando aut dona conferendo: sed ipsi culpa sua sola ( loquor de adultis, non de infantibus aut amentibus perperis, quibus omnimò melius erit esse, quam non esse simpliciter ) ipsi, inquam, culpa sua solâ perierunt. Quod Deus non voluit, sed permisit tantum. Neque dedit impiis occasionem vt perirent, sed ipsi acceperunt, & quod erat salutare, verterunt in perniciem propriam: E contrario Deus multos reprobos valde dilexit antecedenter, mediisque plurima, & præstantissima tradidit, vt angelis apostatis, Salomoni, & Iudæ proditori.

Manet tamen hæc differentia specialis dilectionis, & beneficii antecedentis inter omnes electos ex vna parte, & reprobos ex altera, quod Deus eligendo seriem illam, in qua videbat media profutura, idque volendo, & approbando pro suo mero beneplacito, ex intentione salutis ipsorum: eos modo speciali, reprobisque non communi, antecedente, id est, à se dilexit, & ad gloriam ordinauit. Licet aliunde, & alia ratione non paucos reprobos antecedenter plus dilexisset, & ad maiorem gloriam per media præstantiora voluisset euehere, quantum in se erat, nisi ipsorum culpa stetit.

Fuit & hæc generalis differentia inter media collata reprobis, & electis, quia Dei beneficentia speciali, & antecedenti, id est, pro mero Dei beneplacito, ex desiderio salutis ipsorum, & intentione finis consequendi, prædestinatis collata ea sunt, quæ per scientiam mediam præuidit Deus certò & infallibiliter effectum habitura; si conferrentur eo tempore, & loco & aliis circumstantiis: in eoque sibi complacuit. Cum è contrario reprobis, prædestinatis Deus non profutura, si darentur hæc, & non alia, stauit tamen hæc dare, & non alia. Licet non sic stauerit, quia præuidit non profutura: sed potius eorum salutem per se intenderit: ita tamen vt quod in contrarium & ex culpa creaturæ præuidit euenturum, voluerit permittere. Similique modo philosophandum est de fauore speciali circa donum perseverandum & ad quavis bona opera supernaturalia.

Sed non est admittenda illa alia differentia inter auxilia efficacia & inefficacia, quam Thomistæ prætendunt, quod illa voluntatem physicè prædeterminent, illa non. De qua, quia per Sedem Apostolicam disputare non licet scriptis in lucem editis, dicam tantum id quod apud omnes Catholicos certum esse debet, quodque Thomistæ ipsi non obstante physica prædeterminatione verum esse fatentur: auxilia illa saltem non esse talia, vt illis positis, voluntas non possit non consentire. Primò

quia id aperte repugnat Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 4. de sententiâ liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum, posse dissentire se velis, & inspirationem divinam abicere, & Concilio Senonensi celebrato contra Lutherum, in decretis fidei cap. 15. affirmanti, non esse talem Dei trahentis auxiliū, cui resisti non possit. Vbi nota utrumque Concilium loqui de auxilio efficaci. Loquitur enim de auxilio, cui liberum arbitrium consentit, & de auxilio trahente, cuius ope currimus in odorem vnguentorum eius, ut addit Senon. paulo post. Secundo, quia repugnat doctrinæ SS. Patrū, quæ hac in parte unanimes, & cōstans fuit, ut id Caluini dissimulare nequiverit. Fateetur enim lib. 2. Infit. cap. 3. nu. 10. multis sæculis traditum fuisse, & creditum hoc modo moyeri à Deo voluntatē, ut nostræ sit, electionis motio Dei obtemperare, aut refragari. Cui doctrinæ cum ipse refragetur, (qua de causâ dānatus fuit à Trid. cap. & can. sup. citatis) vnicum adducit Augustin. velut sententiæ suæ patronū. Sed neque ille à communi doctrina Patronū, & totius antiquæ Ecclesiæ hac in parte dissentit, sæpiusque liberi arbitrii potestatem in cōsentiendo, vel dissentiendo vocationi diuine prædicat, in illis etiam libris quos contra Pelagium, vel exortam illius hæresis scripsit; ut in lib. de Spiritu & litera, qui est cōtra Pel. cap. 34. *Nemo habet in potestate quid veniat in mentem vel cōsentire vel dissentire proprie voluntatis est, id est, habet in potestate voluntatis, ut consentiat, vel dissentiat. Et is ergo modis cum agit Deus cum anima rationali, ut ei credat (neque enim credere possit quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat) profecto & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericorditer dicitur prouenire consentire autem vocationi, sine dissentire, ut dixi, propria voluntatis est, id est, consentimus, aut dissentimus, quia volumus: non autē, quia non aliter possumus. Et si cōsentimus in nostra potestate fuit non cōsentire dissentimus, fuit in nostra potestate nō dissentire. Quod clarius id exponit lib. de dogm. eccl. cap. 21. (Si tamen liber ille Augustini est, ut multi cēsent, & non potius Gennadij) vbi sic habet: *Manet itaque ad querendam salutem, arbitrii libertas, id est, rationalis voluntas, sed admonem prius Deo, & inuitante ad salutem, ut vel eligat, vel sequatur &c. Inuium ergo salutis nostra Deo miserante habemus: ut acquiescamus salutaris inspirationi, nostra potestatis est.**

Et li. 2. de pecc. meritis, & remis. cap. 17. qui planè August. est, ut & alij mox citadi: sic ait: *Gratia Dei est, qua hominū adiuuat voluntate, quæ ut non adiuuentur, in ipsis videtur causa est, non in Deo: quia scilicet non per Deum stat, sed per liberam ipsorum voluntatem, qua, cum possint, nolunt tamen iuuari, & cooperari.* Et lib. 3. de lib. arbitrio capit. 1. *Motus, quo huc aut illuc voluntas conuertitur, nisi esset voluntarij, atque in nostra potestate, neque laudandus, cum ad superiora, neque culpandus, homo esset, cum ad inferiora detorquet quasi quendam cardinem voluntatis: neque omnino monendus esset, ut istis neglectis, æterna vellet adipisci, atque ut male nolle*

vinare, vellet autem bene. Et li. de duab. animab. cap. 11. dicit omnibus notū esse neminem esse vituperatione, supplicio dignum, qui id non faciat, quod facere non potest, id est, qui nō habet in libera potestate ut faciat, si velit. Parque est ratio ut non sit laude specialiter & præmio dignus, qui id facit, quod non potest non facere. Et Prosper Augustini discipulus, Pelagij, & Semipelag. æquè hostis, & impugnator, lib. 2. de vocat. Gent. cap. 28. in fine, *Sicut qui crediderunt, iuuantur ut in fide maneam: sic & qui nondum crediderunt, iuuantur ut credant. Et quemadmodum illi in sua habent potestate, ut exeant: ita & isti in sua habent potestate ut ne veniant: fitque manifestum, quod diuersi, atque innumeris modis omnes homines vult Deus saluos fieri. Sed qui veniunt, Dei auxilio dirigitur: qui non veniunt, sua pertinacia delinuntur. Dei scilicet gratiæ, & auxilio, à quo dirigi potuerunt, si voluissent consentire: sicut & illi potuerunt non dirigi, si voluissent reluctari.* Et Hieron. lib. 2. aduersus Iouinian. non longè à principio, *Liberi arbitrii nos condidit Deus: nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin ubi necessitas est: nec damnatio, nec corona est.* Et lib. 1. aduersus Pelag. aliqua post inuium, *Sic liberum homini seruamus arbitrium, ut Dei per singula adiutorij non negemus: tale scilicet, ut non trahat necessitate ad virtutem, id est ad cōsensum, ut dixit loco prius cita.*

Plura eorundem, aliorumque Patrū testimonia collecta vide apud Di. Rois disp. 42. & 43. de scientia Dei, & alios alibi plura afferuntur tom. 2. disp. 8. sect. 2. nu. 19. Hæc verò in præsentij sufficiunt, tum ad confirmandam conclusionem propositam: tum ad refellendam calumniam eorum, qui dicunt doctrinam istam de libertate indifferentiæ, ad consentiendum Dei vocationi, & auxiliis gratiæ, pertinere ad dogmata Pelagiana: imò summam totius controuersiæ inter Pelag. & Augustin. aliosque Patres eius impugnatores, in eo positam fuisse. Quid enim absurdius esse potest, quam existimare August. Hieron. Prosp. & alios, quorum opera detecta sunt, & conuicta hæresis Pelag. eiusdē hæresis assertores fuisse, illis ipsis in libris, quibus eam ex professo impugnant? Adde quod Augustinus Cæsar. Pape Prosp. Vinc. Lirin. & alij antiqui affirmant hæresim Pelagij nouam esse, & ante illam inauditam, ut ostēdimus supra sect. 3. At dogma de libertate indifferentiæ erat traditum, & creditum multis ante sæculis, ut agnoscat ipse Calu. loco sup. cit. & Matthias Iliricus Centur. 2. cap. 4. col. 59. Fateaturque illi ipsi, quos modo impugnamus. Nec à quoquam dissimulari potest, tum id sole clarius sit. Itaque falsum est hanc doctrinam ad dogmata Pelagiana, quæ noua erant, pertinere. Neque sine hæresi credi potest Ecclesiam tot sæculis alicui dogmati Pelagiano adhæsisse unanimi Patrū consensu. Hoc enim est insatiabilem eius destruere. Adde illud dogma Pelagij nusquam haberi inter eius errores reuocatos, & damnatos à D. Augustin. lib. de hæresibus, aliisque locis vbi eorum catalogum rexit, & à cōsent-

illis Palestino Milavit. & Arausico. contra Pelag. & Semipelagian. celebratis: nec à Cœlest. Papa in Epist. ad Episc. Galliar. quam scripsit ad sedandas dissensiones ortas ex occasione contentionsis inter Augustin. & Pelagianos. Atqui si illud erat dogma præcipuum & caput hæresis Pelagianæ, non debuit omitti, sed notari præcipue, & damnari. Denique res satis aperte à Concil. Trident. cap. & can. sup. citatis, contra Lutherum & Caluinum definita fuit. De concilio autem œcumenicorum infallibilitate in fidei definitionibus dubitare, hæreticum est.

## SECTIO VI.

*Verum illa dilectio specialis electorum antecedens fuerit efficax electio ad gloriam?*

60. *Accedens dilectio specialis electorum non fuit efficax.*

**R**espondeo, licet Deus antecedenter omnes electos dilexerit specialiter, quatenus sciens, & volens elegit illis seriem profuturam, & in eo sibi complacuit: non tamen eos elegit ad gloriam absolutè & efficaciter ante præiusta merita, vel conditiones necessaria ex parte ipsorum: adeoque prædestinatio, quæ est decretum absolutum & efficax dandi gloriam, non fuit antecedens. Ratio est quia licet posita tali dilectione speciali, & electione seriei profuturæ, quam Deus habuit antecedenter, id est, à se gloria sequatur infallibiliter: tamen non sequitur præcisè vi dilectionis, ut se tenet ex parte Dei, neque affectus sui nisi per se sumptis, sed tantum ex hypothesi eventus futuri, quem tamen Deus permitteret non evenire, si creatura vellet oppositum. Deus enim non elegit media ut profutura, & quia profutura; electurus alia si hæc non prodesset: neque talem habet affectum saluandi illos, ut non esset permissurus oppositum, aut statuerit quacunque ratione impedire ut non eveniat: adeoque dilectio illa specialis, & electio, non est voluntas gloriæ efficax simpliciter & ex se, sed tantum in fine eventus, & ex hypothesi voluntatis creatæ non obstituræ, id est, quæ de facto non obstat. Neque Deus pro illo instanti rationis, quo media profutura elegit, vult adhuc efficaciter & absolutè dare illis gloriam: sed tantum conditionatè, si mediis usuri sunt, quod non videt futurum absolutè, nisi ratione posteriori, post electionem præsuppositam, & usum creaturæ futurum. Hoc enim est obiectum illius sciendi absolutè, adeoque illi præsupponitur, ut id à quo aliquo modo pender. Antequam verò electio seriei ponatur, aut ponenda intelligatur, præcedit tantum in Deo scientia conditionata, quod scilicet talis usus esset, si tale medium poneretur: propter quod Deus non concludit efficaciter & absolutè gloriam dare, sed propter scientiam absolutam, & propter bonum eventum absolutè futurum.

61. *Gravis obiectio obicitur.*

Dices, licet præscientia præcedens electione sit tantum conditionata: electio tamè seriei, & gloriæ ad quam refertur series mediorum, absoluta est: & eà posita, scien-

tia conditionata transit hoc ipso in absolutam. Ergo illa electio est absoluta. Estque etiam efficax, quia infallibiliter eam habitura effectum, & non potest permittere oppositum. Nam electio & approbatio seriei ut profuturæ, non potest stare cum permissione oppositi. Si enim foret oppositum, non esset valsellectio, aut saltem approbatio seu complacentia.

Respondeo electionem seriei quam Deus elegit, esse quidè absolutam prout est electio talium mediorum quoad substantiam; at non prout est mediorum re ipsa profuturorum. Hæc enim Deus non intendit ut talia, nisi per modum simplicis desiderij: sed antecedenter tendit tantum absolutè & efficaciter in media ut de se valida: in effectum verò, & usum, conditionatè si creatura velit cooperari, & cum virtuali permissione abusus. Unde fit, ut electio ad gloriam, quæ præsupponit usum & cooperationem, sit pariter conditionata. Posita verò electione seriei, & eventus futuro; scientia conditionata transit quidem in absolutam, sed ratione posteriori propter subordinationem, & veluti deperditam ab illis ut obiectis. Hæc autem electio, & approbatio boni eventus futuri, licet non possit stare cum aduali permissione oppositi, quatenus est electio seriei re ipsa profuturæ, & eius approbatio, que non esset, si futurum esset oppositum: non excludit tamen virtuales permissiones oppositi ex parte subiecti: quatenus Deus non elegit hanc seriem quia profuturam, sed non minus elegisset, quævis profutura non fuisset: & quatenus loco approbationis boni eventus futuri, ponit esse in Deo permissio oppositi, fuissetque re ipsa, si creatura medijs usura non fuisset pro sua libertate. Quare electio & dilectio specialis, non est in Deo affectus efficax circa salutem & eventum futurum, licet sit eius approbatio: quia patitur virtuales permissiones oppositi ex parte subiecti. Quemadmodum nos nunquam approbamus & fieri gaudemus, quorum tamen eramus permissuri oppositi, & non quacunque ratione ac totis viribus impedituri.

Instabis quia si Deus non elegit seriem & media ut profutura: ergo eorum præscientia conditionata non est prior electione illa: quippe cui non seruit, nec illi præsupponitur ex natura ipsius, velut directiva, aut velut obiectum illius.

Respondeo primò scientiam conditionatam esse priorè electione ex parte subiecti, & subsistendi consequentia. Quatenus licet Deus re ipsa non eligeret, haberet tamen scientiam conditionatam eius quod futurum esset, si seriem eligeret. Contra verò, non potest eligere, quin sciat quid futurum sit postea electione. Respondeo secundò, scientiam eius quod futurum est, præsupponi ad prudentem electionem secundum ordinem rationis qui est ex parte actuus, ut ostendimus sect. 1. hu. 4. Tertio, scientiam conditionatam boni eventus futuri præsupponi approbationi eiusdem, in qua præcipue consistit specialis illa dilectio Dei erga electos. Est enim

61. *Alia obiectio respicitur.*

cognitio & propositio obiecti, in quod talis approbatio tendit, adeoque ex rei natura debet ipsi præsupponi.

63. Vergebis nemum quia nostra sententia sic explicata videtur idem reipsa dicere, quod sententia aduersariorum, & tantum in modo explicandi differre. Perinde enim est quod Deus præsciens scientia media hos saluandos, & illos damnandos, si hæc seriem eligeret, & talia media illis præpararet; elegerit reipsa & præparauerit: & dicere, quod antecedenter absolute & efficaciter voluerit aliquos saluare, neglectis alijs, præ media quæ præciebat futuræ congrua, quæque in instanti posteriori rationis electurus erat vi prioris voluntatis absolute & efficacis.

Discrimen inter sententiam nostram, & aduersariorum.

Respondet magnum adhuc esse discrimen vtriusque sententia. Nam nostra tantum asserit, quod negari non potest, Deum, post sincerum desiderium saluandi omnes, cum media eligeret, præscisse quid euenturum esset, & bonum euentum approbasse, malum permisisse, non intendendo ex se hanc differentiam, sed eam libertati creaturæ relinquendo, à qua pendet vniuersum simplex & conditionata præcedens, sit vel non sit absoluta & efficax, prout ipsa voluerit vi medijs aut non vi. Adeo vt negotium nostræ prædestinationis, aut reprobationis, in manu nostra sit: & Deus de ipso nihil absolute & efficaciter sine nobis statuerit, sed tantum ex præuisione futuri penderis à nostra libertate. Ac demum Deum, licet ex seipso hanc differentiam non intendere, specialiter tamen benefecisse illis, quibus seriem profuturam esse vidit, & approbavit ex desiderio salutis ipsorum. Atque illud beneficium esse antecedens, quatenus Deus ex seipso talem seriem elegit, nulla data occasione ex parte nostra cur hanc seriem potius quam aliam eligeret. Licet quod series electa fuerit nobis profutura vel non profutura, à nobis penderis, fueritque consequens ad vsum libertatis bonum vel malum, aut ipsum inuoluens. At verò in sententia aduersariorum, Deus ex seipso statuit absolute & efficaciter de hominum salute, non præsupposito quid ex parte ipsorum futurum esset absolute. Neque ipsis differentiam salutis & dånationis permisit simpliciter, iuxta ipsorum opera bona vel mala præuisa, & vsu liberi arbitrij: sed ex se solo, vi decreti absolute, & infallibilis, atque omnino efficacis, illam constituit in ordine intentionis & electionis gratuitæ. Ex quo sequitur Deum se adegisse ad necessitatem præparandi electis, in secundo instanti rationis, media congrua vt talia: & reprobis, media incongrua: neque voluisse sincerè salutem eorum quos reiecit antecedenter: aliaque multa sequuntur incommoda & absurda, quæ deduximus disputatione præcedenti sect. 5.

64. Deus sapienter permittit abusu me-

Ceterum Deus præsciens, cum eligeret media hæc & illa ex infinita multitudine mediorum pøssibilibum, quæ æquè potuit elige-

re, præsciens, inquam, plurima eorum non profutura ob malitiam aut negligentiam creaturarum: non debuit eorum loco eligere alia quæ videbat profutura si eligeret: quia non tenetur saluare homines quacumque ratione, & quibuscumque medijs adigere, aut cogere vt salutem consequantur: ac si nolint medijs oblatis valde aptis de se & sufficientibus vti, substituere alia quibus tandem vincantur, & si opus sit cogantur tandem acquiescere. Sed pro sua benigna & suauis providentia potuit libertati creaturarum permittere, vt vterentur, aut non vterentur, prout liberè vellet. Ac satis magnæ misericordiæ & liberalitatis fuit, quod Diuina Maiestas infinita creaturas vilissimas ad gloriæ suæ communicationem destinauerit & inquitari: quodque ad illum finem media, de se valida omnia, & apta, præparauerit, atque in tempore obtulerit, partim secundum animum specialiorè, partim & communiter secundum cursum comunem & accommodationem causarum naturalium, quam Deus non tenetur prætergredi aut mutare, quando malitia vel negligentia creaturæ resistit medijs sufficientibus sibi oblatis: sed iure potest illud exprobrare: *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Osee 13. v. 9.

diuina saluatis.

Dixi in fine conclusionis, Deum non esse gisse ad gloriam absolute & efficaciter ante præuisa media, vel conditiones necessarias ex parte saluandorum: Notandum enim non omnes saluari per meritum, adeoque non prædestinari omnes ex meritis præuisis: sed tres esse ordines saluandorum. Primus eorum est qui sine vilo merito & sine vilo actu proprio saluantur, aliena voluntate applicante remedium peccati originalis, & instrumentum iustificationis: vt paruuli decedentes post baptismum. Secundus, eorum qui saluantur non sine aliquo actu proprio & cooperatione, sed tamen sine merito: vt adulti qui iustificati per sacramentum, non sine aliquo actu proprio & dispositione, quæ non est meritoria, statimque moriuntur, priusquam tempus bene merendi habuerint. Tertius eorum qui post iustificationem exercent actus meritorios cum omnibus conditionibus ad mereandum prærequisitis: de quibus vt de nobilissimis sermo est, cum dicitur prædestinationem fieri ex meritis præuisis. Omnibus autem commune est, vt non sit facta eorum prædestinatio nisi ex præuisione conditionis necessariæ, & boni exitus ex hac vita.

65. Non omnes saluantur per propria merita.

SECTIO VII.

Corollaria ex præcedenti doctrina de effectibus prædestinationis.

EX dictis collige primò, primam illam voluntatem diuinam de omnibus saluandis esse suspensam & conditionatam secundum

66.

66.  
Voluntas  
antecedens  
saluandi  
omnes est  
suspensa &  
confusa  
quodam  
modo.

quid, cum sit de omnibus saluandis, ita tamen vt ipsis media applicentur, & non desint conditiones quas ex parte saluandorum Deus requisit. Item esse quidem efficacem secundum quod, quatenus Deum impellit ad suppeditanda omnibus media per se apta: non tamen esse simpliciter & absolute efficacem, donec accedat prauisio vsus mediorum & conditionum: quae prauisione posita, voluntas illa suspensa prius, & conditionata, atque confusa, transit in determinatam, absolutam, & distinctam, de his numero saluandis. Hinc etiam fit, vt electio illa generalis transeat modò in electionem & dilectionem peculiarem eorum, quibus media proderunt, praeter alios qui licet prius antecedenter dilecti, & sufficienter praeventi, posita tamen prauisione, & impedimento ex parte ipsorum futuro, à gloria excluduntur absolute & efficaciter: ita vt ex hac parte implatur illa altera conditio diuinæ voluntatis primo instanti habitæ, si ueretur medijs, saluabuntur: *sin minus, excludentur in aeternum à gloria.* Quæ voluntas conditionata, confusa atque suspensa, determinatam & absoluta fit, neque est inconueniens quòd voluntas diuina inadæquate supra pro aliquo priori rationis sit indeterminata, confusa, & suspensa: quòdque Deus, in consideratione operum, vel euentus finalis, tendat communi quodam desiderio in finem non absolute determinatum, sed determinandum secundum alia, iuxta illum loquendi modum, *Itē & vos in uineam meam, & quod iustum fuerit, dabo uobis.* Matth. 20. 8. *Qua mensura mensi fueritis, remetetur uobis.* Marci 4. Certè secundum aduersarios, voluntas diuina prius ratione terminatur ad finem, quàm ad media: & in eo signo quo terminatur ad finem, se habet confuse ad media: quia in illo signo non statuit de hoc aut illo medio eligendo, sed est indeterminata ad quoduis è pluribus eligendum, quæ electio in posteriori signo rationis fit. Sic etiam prima voluntas de Christo, indifferens huius & confusa ante prauisum peccatum, ad hoc ut ueniret in carne passibili, vel impassibili. Effet quidè imperfectio in Deo: si eius cognitio, aut uoluntio, adæquate sumpta prout est à parte rei, esset aliquo tempore vel instanti durationis confusa: factis autem, si tantum præcisè sumpta, prout responderet alicui nostro conceptui inadæquate, fundato in virtuali aliqua subordinatione, & in amplitudine actus diuini æquiuocantis duobus actibus creaturam subordinatis, yni confuso, & alteri distincto.

67.  
Quomodo  
numerus  
saluandorum  
fit Deo  
certus.

Collige secundo numerum illorum omnium qui saluantur, & eorum qui perire, esse Deo certum non ex vi alicuius antecedentis propositi, decreti, vel electionis, quæ Deus ante prauisionem futuram, uel ipsos ad aeternam salutem absolute efficaciterque selegit: alios positum uel negatiue exclusit, & reprobauerit: sed ex vi præscientiæ infallibilis, quæ Deus nouit quinam ex tota multitudine hominum & angelorum, gratiæ medijs adiuti, sint

fortituri bonum finalem exitum via sibi præscripta: & qui secus. Neque proprie dicatur numerum electorum esse per accidens, & præter intentionem Dei: nisi hoc sensu, quòd Deus ante prauisionem non fuit tam paruo numero additus, sed ex prima intentione, & per se, uoluit omnes salutem consequi: contingit uero ex negligentia vel malitia creaturarum, quòd non plures saluentur. Itaque per se est ex intentione Dei quòd omnes electi uitam aeternam consequantur: per accidens uero quòd non plures.

Collige tertio, certitudinem prædestinationis ex parte nostra non esse in nobis maiorem, quàm sit quisque certus de sua perseverantia, uel de bono finali statu. Quod quàm incertum sit, propria cuique uel aliena inconstantia & experientia notum est. Vnde illud Rom. 11. v. 20. *Tu autem fide has, uoli alium sapere, sed time.* & Philip. 2. *Cum timore & tremore operamini salutem uestram.* Et Aug. lib. 1. de correptione & grat. cap. 13. *Quis ex certitudine fidelium quandiu uisus in hac mortalitate, in numero prædestinatorum se esse presumat?* Denique inanis hæreticorum huius temporis, & superba confidentia, damnata fuit à Trident. sess. 6. can. 15. & 16. Frustra uero obiciunt illud Roman. 8. *Spiritus reddidit testimonium spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.* Nam ibidem additur conditio, *si tamen comparimur* &c. ut omittam quàm sit obscurum hoc testimonium, & quàm facile possit falsò præsumi à quolibet.

De numero uero prædestinatorum docet Scriptura illum exiguum fore, præ numero reprobatorum, de hominibus loquendo, Matth. 7. v. 14. *Arcta est uia que ducit ad uitam, & pauci inueniunt eam. Arcta est uia que ducit ad perditionem, & multi ingrediuntur per eam.* Et cap. 22. *Multi uocati, pauci electi.* Quæ & similia de tota hominum multitudine intelligenda sunt. De fidelibus uero inter se comparatis, probabile est, quòd Suares lib. 6. de prædest. cap. 3. num. 6. & alij tradunt, maiorem esse numerum prædestinatorum, propter efficaciam Sacramentorum, & aliorum auxiliorum, quibus communiter fruitur maxima pars fidelium Christianorum in articulo mortis, quo tempore nemo, nisi desperatissimus, non cogitat seruire de salute, & de medijs.

Collige quarto, non plus nobis esse difficultatis in concilianda libertate arbitrij creaturæ, cum prædestinatione: quam in concilianda eadem libertate, cum præscientia diuina. Gloria enim & bonus status finalis, & bona opera, uel vsus & applicatio Sacramentorum, aliaque id genus, non fuerunt decreta absolute ante prauisionem liberi euentus creaturæ. Præuisio autem non officit libertati: quia non facit euentum, sed supponit, & ab eo quasi pender, vt explicatum fuit disp. 9. sect. 4. Sicut prædestinatio, siue electio absoluta & efficax ad gloriam, quæ præsupponit præscientiam futurorum, & in ea fundatur, non plus obest libertati creaturarum,

quam ipsa presentia. Quod si obicias hinc sequi predestinationem non esse causam nostrae cooperationis liberæ, sed potius effectum. Respondeo predestinationem esse ex parte causam, quatenus predestinatio inchoata est causa primæ vocationis, & aliorum, quæ postea, nobis consentientibus, sequuntur ad gloriam obtinendam: Et esse ex parte effectum, quatenus est predestinatio completa, sive electio absoluta & efficax, propter præuisam nostram cooperationem.

71.  
Qui sine effectus prædestinationis

Collige quintò, facile esse in nostra sententia explicare quæ naturæ vel gratiæ dona sint effectus predestinationis? Si enim loquamur de predestinatione sumpta pro efficaci & absoluta voluntate dandi gloriam, vt in præsentî disputatione sumitur: vnicus est illius effectus, nempe glorificatio, communiter & ordinariè loquendo. Nam extrordinariè, quando Deus aliquem confirmat in gratia ex intentione efficaci illum saluandi propter bona opera præsentia: confirmatio in gratia, & omnia quæ in illa includuntur tanquam media, vt oblatio talium auxiliorum, subtractio occasionum peccandi per moxem præmaturam, & alia eiusmodi beneficia gratiæ sunt effectus predestinationis. Extra verò priuilegium istud paucis concessum, vocatio & iustificatio, & alia omnia beneficia gratiæ, quibus Deus in finem vitæ æternæ præintantum perducit electos, sunt illius causæ. Aliter verò sumpta predestinatione, pro prima illa voluntate antecedenti & conditionata saluandi omnes; omnia gratiæ beneficia, id est, spectantia ad prouidentiam supernaturalem, per quæ Deus procurat hominum salutem præintantum, quæque Deus ab æterno designauit ac præparauit vi illius intentionis, exhibetque in tempore; sunt effectus illius predestinationis inchoatæ & conditionatæ, transcurrentis in absolutam & completam, postquam præuisum est media profutura ad fortiendum bonum finalem statum.

Communitè verò tres effectus præde-

stinationis numerantur, sumpta predestinatione pro æterna illa voluntate antecedenti & conditionata. Vocatio scilicet, iustificatio, & glorificatio. Iuxta illud Roman. 8. Quos præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri imaginis filij sui. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit. Et quos vocauit, hos & iustificauit. Quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Ad vocationem reuocantur gratiæ omnes præuenientes: vt auxilia interna & externa, illuminationes, inspirationes, præmotiones voluntatis, miracula, prædicationes, bona aliorum exempla, beneficia diuina, morbi, calamitates, & alia flagella ad bene viuendum excitantia: liber etiam consensus quo paremus vocationi, & alia bonæ nostræ operationes, quibus disponimur ad remissionem peccatorum, & infusionem gratiæ iustificantis. Ad iustificationem reuocantur omnia dona gratiæ, quæ illam sequuntur: vt virtutes morales infusæ, opera meritoria, augmentum gratiæ, donum etiam perseuerantiæ, & similia. Inter auxilia quoque numerari possunt, & ad primum effectum reduci, natiuitas ex bonis parentibus, bona indoles & educatio, vita longior, vel mors præmatura, quando est occasio salutis, atque etiam permissio peccati, quando ad bonum prædestinati in ordine ad vitam æternam permittitur, vt magis Dei bonitatem diligat, cautiorem fiat, & vbi abundauit delictum, superabundet gratia. Ipsa denique substantia prædestinati est etiã effectus predestinationis, posito quòd homines & Angeli creati sint ex intentione Dei, eos ad gloriam perducendi. Etiam quæ ex substantia sequuntur naturaliter, velut proprietas aut affectiones connaturales & necessaria, non sunt speciales effectus predestinationis ultra creationem personæ, sed in illa continentur moraliter. Quia non est nouum beneficium gratiæ, quod qui dat esse, det consequentia naturaliter & necessariò ad esse. Quæ de re plura videri possunt apud Suar. lib. 3. de prædestin. Valq. disp. 93. & Heilce disp. 30.

# DISPUTATIO VIGESIMA PRIMA

## De causis prædestinationis.

- Sectio I. An prædestinatus sit causa suæ prædestinationis?
- Sectio II. Soluuntur duæ difficultates circa doctrinam præpositam.
- Sectio III. An vnus possit esse alteri causa totius suæ prædestinationis?
- Sectio IV. An Christus sit causa meritoria totius nostræ prædestinationis?
- Sectio V. Respondetur argumentis contrariæ sententiæ.
- Appendix. De reprobatione, & de libro vite.